

## INFORMATION TO USERS

This manuscript has been reproduced from the microfilm master. UMI films the text directly from the original or copy submitted. Thus, some thesis and dissertation copies are in typewriter face, while others may be from any type of computer printer.


**The quality of this reproduction is dependent upon the quality of the copy submitted.** Broken or indistinct print, colored or poor quality illustrations and photographs, print bleedthrough, substandard margins, and improper alignment can adversely affect reproduction.

In the unlikely event that the author did not send UMI a complete manuscript and there are missing pages, these will be noted. Also, if unauthorized copyright material had to be removed, a note will indicate the deletion.

Oversize materials (e.g., maps, drawings, charts) are reproduced by sectioning the original, beginning at the upper left-hand corner and continuing from left to right in equal sections with small overlaps.

ProQuest Information and Learning  
300 North Zeeb Road, Ann Arbor, MI 48106-1346 USA  
800-521-0600

**UMI<sup>®</sup>**



L. J. C. et M. I.

Philosophica dissertatio  
DE CAUSA FINALI  
in doctoratum consequendum  
apud  
Ottawiensem Universitatem.

Université d'Ottawa  
BIBLIOTHÈQUES



LIBRARIES  
University of Ottawa

... "finis vel bonum habet rationem causae. Et haec species causae potissima est inter alias causas: est enim causa finalis aliarum causarum causa."  
(S. Thomas in II Physic. 1.5)

Ottawa, die 15a aprilis, A.D. 1931.

Sylvio Ducharme, O.M.I.

UMI Number: DC52343

### INFORMATION TO USERS

The quality of this reproduction is dependent upon the quality of the copy submitted. Broken or indistinct print, colored or poor quality illustrations and photographs, print bleed-through, substandard margins, and improper alignment can adversely affect reproduction.

In the unlikely event that the author did not send a complete manuscript and there are missing pages, these will be noted. Also, if unauthorized copyright material had to be removed, a note will indicate the deletion.

**UMI<sup>®</sup>**

---

UMI Microform DC52343  
Copyright 2007 by ProQuest LLC  
All rights reserved. This microform edition is protected against  
unauthorized copying under Title 17, United States Code.

---

ProQuest LLC  
789 East Eisenhower Parkway  
P.O. Box 1346  
Ann Arbor, MI 48106-1346

M A R I A E  
VIRGINI ET MATRI IMMACULATAE  
atque  
C.-J. EUGENIO DE MAZENOD  
PATRI NOSTRO.

CONSPECTUS GENERALIS.

I n t r o d u c t i o

SIMPLEX APPREHENSIO CONCLUSIONIS:

- I- Explicantur termini
- II- Explicatur tota conclusio

CONCLUSIO QUAD JUDICIUM SEU SENTENTIAE:

- I- Circa primam partem conclusionis.
- II- Circa secundam partem conclusionis.
- III- Circa tertiam partem conclusionis.

CONCLUSIO QUAD RATIOCINIUM:

- I- Probatur conclusio  
ubi proponitur syllogismus  
cujus

Major declaratur

Probaturque minor per partes:

1. solum bonum formaliter
2. formaliter prout est in se
3. movens amore passivo

- II- Deducuntur corollaria.

SCHOLIA:

C o n c l u s i o .

## ELENCHUS BIBLIOGRAPHICUS

- ARISTOTELES: II Physicorum; III De Anima, c.10; I Metaphysicorum, c. 6 et 7; I Ethicorum, c.1.
- S. THOMAS; in Aristotelis locis; Summa theologiae: I p. q.5; q.19 a.1 ad 5; q.44, a.4; q.59; 2.79, a.11; q.80 et 81; I-II p. q.1; q.26 et 27.  
III Contra Gentiles, c.2 et 3. De Veritate, q.1 a.1; q.21 et 22, a.1,2,3; q.25, a.1 et 2. Opusc. de principiis naturae, (Mandonnet, tome V.)
- CAPREOLUS: II Sent., dist. 25, q.1 et dist. 34, q.1.
- CAJETANUS: in locis Summae.
- FERRARIENSIS: in I. Contr. Gent., c.44.
- JOANNES A SANCTO THOMA: in I-II disp. 1, a.1; Cursus Ph., Ph.nat., q.10, 13 et passim.
- SCOTUS: I Sent., dist. 24, II Sent., dist. 43, q.2.
- H. DE MONTEFORTINO: Duns Scoti Summa th... I-II q.8, a.1.
- SUAREZ: Met., disp. 23, sect. 1,2,4,5,7,8.
- GARRIGOU-LAGRANGE: Le principe de finalité. Rev. Th. 1921.
- PEGUES: Commentaire littéral français... in locis Summae.
- SERTIPLANGES: S. Thomas d'Aquin, I, liv.I, ch.1; II liv. VI, ch.1.  
La morale de S. Thomas, ch.3.
- J. MARITAIN: Réflexions sur l'intelligence, ch.6.
- A. CHOLLET: Dictionnaire th., "cause".
- Th. de REGNON: La métaphysique des causes, liv. VI.
- Manualia: 1) Alamus  
2) Collin  
3) De Maria  
4) Demet de Vorges  
5) Goudin  
6) Gredt  
7) Hugon  
8) Mercier  
9) Romer  
10) Zigliara.

### III

#### -INDEX RERUM.-

<b>I n t r o d u c t i o:</b> causae in philosophia	p. 1
causa finalis	2
Ducente Aquinate, probatur causam finalem formaliter constitui per solum bonum for- maliter, prout est in se et movens amore passivo.	"
<b>SIMPLEX APPREHENSIO CONCLUSIONIS:</b>	pp. 3-17
<b>I- Explicantur termini</b>	pp. 3-17
<b>A- Subjecti conclusionis</b>	p. 3
1. <u>Causa:</u>	"
An sit, quid sit	.
Qualis sit, quotuplex sit	5
2. <u>Finis:</u>	6
Significationes diversae	"
An sit causa finalis	7
1 <sup>o</sup> Sententiae	"
2 <sup>o</sup> Existentia causae finalis probatur	9
1) Existit finis	10
a posteriori	"
a priori	11
2) Existit causa finalis	13
De finalitate externa	14
De correlativo finis seu de medio	15
<b>B- Praedicati conclusionis</b>	pp. 15-17
1. Bonum	15
2. Amor	16
<b>II-Explicatur tota conclusio</b>	17

IV

CONCLUSIO QUOD JUDICIUM SEU SENTENTIAE:		pp.17-22
I Circa primam partem		17
Nominalistae		"
Scotus		"
Dubium in ejus sententia, affirmationes auctorum.		18
Plerique philosophi.		19
II Circa secundam partem.		19
Plerique thomistae		"
Socinas, Melina et alii		"
Capreolus		20
Vasquez		"
Bannes		"
III Circa tertiam partem.		20
Cajetanus		21
Cabero, Aegidius		"
Conimbricenses, Fonseca		"
Suarez, Rubius, Complutenses, plures thomistae et Scotistae.		22
CONCLUSIO QUOD RATIOCINIUM:		pp.23-78
I. Probatur		23-69
Syllogismus		23
Major declaratur		"
Objicitur 1 <sup>o</sup>		24
Objicitur 2 <sup>o</sup>		25
Causalitas propria causae finalis		26

Minor probatur per partes:	p. 26
Prima pars: <u>solum bonum formaliter</u>	ppp26-44
Praenota: agens stricte dictum est suppositum	26
1° prima pars minoris probatur <u>directe</u>	27
Suppositum habet agere nisi per appetitum	"
Omne suppositum habet appetitum naturalem	28
aliqui insuper habent alterum elicitivum	29
cognitio	"
inclinatio quae illam sequitur	32
Nullum suppositum agit nisi per appetitum sive naturalem sive elicitivum.	34
Solum bonum formaliter potest movere appetitum.	35
notanda.	36
2° prima pars minoris probatur <u>indirecte</u>	36
A- malum quia malum nequit movere suppositum...	"
B- solvuntur argumenta	39
Primum argumentum	"
Scoti argumentum	40
citatur	"
scrutatur	41
refellitur	42
Secunda pars: <u>formaliter prout est in se</u>	pp.44-57
Praenota: utrum cognitio sit tantummodo conditio	44
1° secunda pars minoris probatur <u>directe</u>	45
Movere agens, competit bono prout appetibile	"
Bonum est appetibile prout est in se	"
Confirmatur	
2° secunda pars minoris probatur <u>indirecte</u>	49
A- Cognitio est conditio sine qua non, quia:	"

## VI

A- Cognitione est conditio sine qua non, quia:	P. 49
necessario requiritur	50
per modum applicationis et existentiae	51
Et non est de ratione formali boni moventis	53
Confirmatur	54
B- Solvuntur argumenta	"
Tertia pars: <u>movens amore passivo</u>	57-69
Praenota: prima pars minoris est fundamentum hujus tertiae.	57
1° tertia pars- minoris probatur <u>directe</u>	58
Hoc movet agens per modum termini allicientis quod	
se amore facit ut gratia ipsius caetera fiant.	58
Solum bonum formaliter movens amore passivo ita	
se habet.	"
Probatur minor	59
in genere	"
in agentibus naturalibus	"
in animalibus brutis	60
in voluntate humana.	"
Confirmatur	62
Motus metaphoricus boni est in appetitu	63
in actu appetitus	"
in primo actu appetitus circa finem	"
non est realiter distincta ab ipso actu	64
est ipse actus ut immediate pendens a bono	65
2° tertia pars minoris probatur <u>indirecte</u>	"
solvitur primum argumentum	66
secundum argumentum	67

## VII

<b>II- Deducuntur corollaria</b>	<b>pp.70-78</b>
1. Ergo causa finalis proprio est finis operantis	70
rationes auferuntur	"
P. De Régnon refellitur	71
Divisio finis	72
2. Ergo non-esse, non appetitur nisi sub ratione boni	75
3. Ergo verum, non appetitur nisi sub ratione boni, et quidem non solae bonitatis transcendentalis sed convenientiae.	"
4. Ergo appetitus distinguuntur applicative, non formaliter per diversas cognitiones. Cognitio radix appetitus?	76
5. Ergo omnia appetunt Deum saltem implicite, creatura ra- tionalis explicite hoc facere debet: textus De Ver.,q.22,a.2.	77

<b>SCHOLIA.</b>	<b>pp.78-81</b>
-----------------	-----------------

1. Utrum axioma: causae sunt sibi ad invicem causae respiciat causam finalem.	78
2. Utrum bonum et causa finalis idem sint.	79
3. Quae cognitio ad causalitatem finalem requiratur.	80
4. Habitudines inter causam finalem et praemotionem physicam.	"
<b>C o n c l u s i o</b>	82

## INTRODUCTIO.

Philosophia, rationem suam existendi, jus ad vitam ex nostro insatiato sciendi desiderio exhauriit. Intellectus enim noster ita ad illum desiderium satisfaciendum attrahitur, ut, sensus communis et scientiae experimentalis cognitionem jam possidens, adhuc perfectiorem rerum notitiam inquiret. Sed "oportet scientem si est perfecte cognoscens quod cognoscat causam-et quidem ultimam causam- rei scitae." Est ergo philosophiae, cujus objectum materiale est omne ens, ultimas rerum causas sive in essendo sive in cognoscendo quaerere. Insuper, ad istud munus melius implendum non tantummodo singulorum entium causas at etiam causas in genere perscrutari debet.

Inquirenti ad quamdam scientiam philosophicam de causis disserere pertineat, cum Sancto Thoma in II Physic., 1.5. respondemus: "considerare de causis in quantum hujusmodi proprium est philosophi primi" si enim "a philosopho naturali assumitur consideratio de causis propter aliquam necessitatem; nec tamen assumitur ab eo considerare de causis nisi secundum quod sunt naturalium mutationum". At Metaphysicae generalis positivae non est, cum sit de ente in genere i.e. prout a causato et incausato abstrahit. At tamen doctrinam de potentia et actu exponendo, locum hujusmodi tractatus nobis assignat. Nam "potentia et actus ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tamquam primis utque intrinsicis principiis necessario coalescat." Neque igitur est theologiae naturalis de causis agere: Deus quia actus purus simpliciter, causas non habet (etsi perfectionum suarum et actionum ad extra detur ratio). Ergo alius est partis Metaphysicae specialis: etenim causari, est quasi "qualis sit" ens ex potentia et actu compositum. De causa quaeritur: an sit et (si existere invenitur) quid, qualis, quotuplex.

Jam apparet momentum tractatus de causis, attamen cognitio causae finalis majoris momenti videtur. "Ratio (enim) eorum quae sunt ad finem a fine sumitur". Eo ipso ultimam inter ultimas rerum rationes tribuit, et tunc adaequatiore modo, nostrum sciendi desiderium adimplet. Est igitur, ut dicam, maxime philosophica causarum: finis "potissima est inter alias causas" cum sit "causa causarum". Cum autem in illa, entium secreta magis celantur, difficilior est accessu regina causarum; obscurior est praesertim ejus causalitas. Itaque Aristoteles "potius probat de fine quod sit causa quam de aliis." Haec pariter est ratio cur multi philosophi antiqui ac moderni, in suis investigationibus circa finem ejusque causalitatem erraverunt. Philosophia vero perennis, quia inter ceteras munus suum intellexit illoque felicissime functa est, genuinam de causa finali doctrinam tradit. Quapropter illa ducente constitutivum formale causae finalis exponimus. Eadem ratione, saepe in thesi Magistrum ejus, Angelicum Doctorem, citamus, ob maximam ejus auctoritatem utique, multo tamen magis ob intrinsicam valorem rationum suarum egregiamque expressionum concinnitatem.

Sit thesis nostrae conclusio:

CAUSA FINALIS FORMALITER CONSTITUITUR PER SOLUM BONUM,  
 PROUT EST IN SE ET MOVENS AMORE PASSIVO.

---

## -SIMPLEX APPREHENSIO CONCLUSIONIS.-

I- Explicantur termini:

## A. Subjecti conclusionis:

## 1- CAUSA

Definitione nominali vulgari causa dici potest: id a quo aliquid fit vel id quod aliquid producit.

AN SIT causa est quaestio cum problemate de conceptus causae objectivitate coincidens. Hujusmodi enim conceptum sine dubio habemus. Objectivitas vero conceptus causae ex experientia interna constat et apodictice ratiocinio probatur. Ut immediate ex experientia interna patet, in nobis et in aliis rebus realitates producimus quae non tantum post actionem veniunt sed ex ipsa procedunt. Insuper nihil seipsum efficit (secus simul non existere deberet ut producatur et existere ut sese efficiat). Sed fieri cum sit motus est factum evidentissimum. Ergo realitates sunt quae ab alio efficiuntur. Dum vero intellectus noster simpliciter apprehendens et ratiocinans verax tenendus sit - nisi admittatur scepticismus universalis, factum impossibile et doctrina contradictoria, - necessario sequitur conceptum causae esse objectivum. Ergo existit causa.

QUID SIT causa. Praetermissa quaestione de definibilitate causae, statim de ejus definitione agitur. Ut ex supradatis patet, causa est id a quo aliquid procedit speciali modo scilicet tanquam a producente: est igitur principium. Attamen non est tantummodo principium, cum res ab illa procedat particulari modo. Non enim omne principium causa dicitur, ita v.g. punctum initiale lineae bene illius dicitur principium minime tamen causa. Ex altera parte non est conceptus causae ad notionem elementi restringendus. Ab illo utique aliquid fit sed non nisi ut intrinseca pars illius. Principium igitur latius

patet quam causa et causa quam elementum. Unde omnis <sup>causa</sup> est principium sed non e converso, (quod a fortiori de elemento verificatur) atque omne elementum est causa (saltem proxima) non autem e converso. De variis definitionibus causae ab auctoribus datis non disputamus. Sufficiat quae ad illius naturam recte exponendam requiruntur indicare. Joannes a Sto Thoma, has condiciones in diversis Sancti Thomae locis reperit sicque enuntiat: "exigit (enim) rationem principii tamquam aliquid communius, exigit rationem influentiae seu derivationis ex parte causae, exigit dependentiam et consecutionem ex parte causati; unde sequitur, quod intercedere debet diversitas inter causam et causatum". (Ph. nat. II, q.X, a.1).

Unde conceptu stricte quidditativo ac completo, ordinem determinationum sequendo definiri potest causa: principium reale et positivum influens in aliud, esse secundum quod dependet. "Principium" loco generis ponitur, reliqua loco differentiae. Dicitur principium reale seu secundum rem, nam principium est aut secundum intellectum aut secundum rem - "id unde aliquid, est aut fit aut cognoscitur" - causa vero non est nisi secundum rem. Dicitur "principium secundum rem et positivum" quo causa a privatione (quae ut terminus "a quo" est principium privativum generationis) distinguitur. Per verba, "influens esse in aliud" quod causa a principio reali positivo merae inceptionis ac successionis secernitur. Atque additur "secundum quod (esse) dependet" (a principio) quia ut Fides docet principium esse potest reale positivum influens esse in aliud ita tamen ut ly aliud ab influente "esse" minime dependeat. Causa igitur per hoc, ab aliis principiis inprimis, distinguitur quod habet aliud a se dependens in esse. Patet etiam differentia inter conditionem sine qua non et occasionem atque causam. Conditio sine qua non est removens prohibens, occasio id in cuius praesentia aliquid fit. Statim breviter quaeri potest

QUALIS SIT causa. Ex causae natura sequitur: 1) quamcumque causam ab effectu suo immediato realiter distingui, 2) nobiliorem esse illo secundum quid i.e. sub ratione causandi, 3) illoque priorem esse prioritatis naturae (seu dependentiae). Notandum est tamen quod ipsa relatio causalitatis (sive mutua sive non) sicut omnis relatio praedicamentalis esse non potest deficiente termino. Tunc si relative sumantur non adest inter causam et effectum prioritas. Multae aliae distinctiones faciendae sunt pro causis in particulari, at haec proprietates sequentes causam ut sic sufficiant. Insuper praecisiones fieri nequeunt antequam divisio causae cognoscatur.

QUOTUPLEX SIT. Tot modi aliquid habere dependens secundum esse influxum, quot genera causarum. In omni autem productione quatuor sunt (saltem analogice) hujusmodi sese habentia erga productum. Dum nihil ex seipso transeat de potentia in actum, seu seipsum efficiat agens extrinsecum dans esse requiritur; ut patet effectus ab illo dependet secundum esse receptum. Hoc genus causae est efficiens - "unde est motus" - (Arist. II Physic. c.3).

Sed efficiens non producit nisi aliquid ex vel in aliquo. Quod influit est perfectio quae est pars constitutiva rei productae, illi tribuens est sit quod est. Subjectum vero, perfectionem datam recipit sustentans ac simul limitans, ita ut ex duobus tertium novum seu totum constituatur. Patet igitur productum ab utroque recipere esse atque in esse recepto dependere: a perfectione ut "quod quid est", a subjecto ut in quo vel "ex quo fit aliquid cum insit." Perfectio causa formalis vocatur, subjectum causa materialis.

Jamvero nullum ens agit nisi propter finem, ut mox probabitur. Et agentia creata ab illo fine determinantur ad agendum, et tunc ille finis, mediante agente quod movet, influit esse in producto ut id cujus gratia aliquid fit. Haec est causa finalis de qua thesis agitur. Sunt ergo quattuor genera causarum: efficiens, materialis, formalis, finalis. Quod ab eis producit ac dependet secundum esse effectus dicitur, qui etiam compositum

vocatur respectu elementorum. Quod a principio procedit principiati nomine designatur. Omnes alii modi influendi esse cum dependentia ad unum horum generum reducitur, ita idea seu exemplar et objectum ad causam formalem extrinsecam reducuntur in quantum specificant: primum aliquomodo specificat effectum; secundum vero actiones et habitus. Causa radicalis secundum varios sensus ad unum horum generum reduci potest. Multis aliis modis dividi potest causa. Sufficiat divisionem in causam per se et per accidens indicare, quae est ratione connexionis cum effectum, causa per se est quae "ex se habet connexionem cum effectum... per accidens, cui accidit conjungi cum effectum productum a causa per se..." (J.Gredt 5a ed. n.756) inter causas per accidens casus recensetur qui tunc causam per se supponit.

Utrum causae efficiens, materialis, formalis, finalis sint suprema genera causarum, an species, seu utrum causa univoce aut analogice de illis, non disputabitur neque de aliis bene multis quaestionibus circa causas in communi, praesertim de habitudine causarum inter se et ad effectus. Attamen circa primam, cum causae in ipso influere esse cum dependentia intrinsece differant, rationem causae univoce illis attribuire non videtur possibile. Nunc ad notionem finis.

## 2- FINIS

Vi definitionis nominalis communis, est aliquid terminans. Fere idem sonat ac terminus. Multiplices variasque habet significationes quarum sex praecipuas notat Goudin: (Physica Ia pars, q.5, a.1.) "Finis vocabulum varie sumitur: primo pro termino continui, ut punctum est finis lineae: Secundo pro limitibus, ut Pyrenaei versus Occidentem, et Alpes versus Meridiem sunt fines Galliae: Tertio pro completionem operis, ut navis dicitur finita, quando completa est, et apta navigationi: Quarto pro consumptione, ut vinum dicitur finitum, quando exhaustum est: Quinto pro desitione, ut mors dicitur

finis vitae (quibus significantius addi poterat, illa qua designatur limitatio perfectionis: quo sensu creatura ens finitum dicitur.). Sed missis his omnibus acceptionibus, sumitur hic finis pro una causarum, quae allicit et invitat agens ad agendum".

Hoc etiam ultimo sensu sumitur finis in nostra thesi. Sed priusquam de natura ejus quaeratur, breviter oportet existentiam probare. "Antequam sciatur de aliquo ar. sit non potest ageri proprie de eo quid est. Non-entium enim non sunt definitiones. Unde questio an est praecedit quaestionem quid est". (S. Thomas in I Post. Anal. Sect. 2).

Unde:

- 1<sup>o</sup> Diversas recitamus sententias, latius Polchevistarum exponendo ab actualitatem.
- 2<sup>o</sup> Existentiam causae finalis probamus, statuendo imprimis finem existere, deinde finem agentis creati esse causam seu existere causam finalem.

#### An sit causa finalis:

Sententiae:

Negantes: Philosophica veritas forte non fuit quae negatorem non invenit. Hoc speciali modo de causa finali verificatur, Et primo omnes, ut patet, qui causalitatem in genere negaverunt, (ut Anaxidemus, Locke, Hume, Stuart Mill, Kant, H. Ferguson) causam finalem non exceperunt; adeo non ut etiam non pauci efficientem causalitatem propugnantes finalem admittere noluerunt. Praecipui ex istis sunt:

- a) ex antiquis: Leucippus, Empedocles, Democritus, Epicurus, Lucretius. Docerant res fieri a casu, et nequidem finalitatem internam esse, secundum quam v.g. potentia ad suum actum ordinatur.
- b) ex modernis: aliqui finalitatem negaverunt. Ita Cartesius qui fi-

nalitatem externam negavit etsi internam admisit.

Alii introducetes mathesim in Physica causam finalem neglexerunt aut sicut fecerat Aristippus ejus cognitionem vanam existimabant. Ita Baco et Spinoza.

- c) ex contemporaneis: Transformistae, Darwinistae, Deterministae, Positivistae et Materialistae.

In specie notari possunt Bolchevistae quorum criterium veritatis est utilitas pro pugna inter societatis classes quarumque scopus est: instituire civitatem internationalem et universalem proletariatus. Ideo Lenin videns quod causalitas finalis ad existentiam Dei admittendam ducebat et consequenter religionem et moralitatem, hanc causalitatem repulit, et idealismum relinquens, materialismum elegit. "This fight against idealism seemed necessary to the Bolshheviks mainly because they suspected their philosophy of being chiefly based on a teleological unity in accordance with which, both in nature and in human life, everything advances to determined ends in a process of continual perfectibility. -In such a theory of design the Bolshheviks see a "concealed religiousness", for the concept of the end presupposes the concept of a higher being who determined this end.

With equal strictness, they also repeated the so-called "immanent teleology", which speaks of a striving towards an end, indwelling in nature and society and gradually revealed, and therefore, shifts the end, the design, to the process of evolution, here too a God is really at work, he is merely "washed with the waters of thought" All these ideals-teleological theories are therefore to be regarded as a reactionary misleading of humanity and deviations from the one true natural law which prevails both in nature and society, namely causality" (efficiens causalitas). "The mind and face of

Bolchevism" -R. Fülöp-Miller, c.III, pp. 50-51.

Alii tandem dixerunt causam finalem certe existere pro homine tantum.

"Pour Ed. Le Roy, (Pergson discipulus) l'affirmation de la finalité naturelle; même interne, n'est qu'anthropomorphisme, ou assimilation gratuite de l'action des agents naturels à l'action humaine, la seule dont nous puissions affirmer avec certitude qu'elle est en vue d'une fin".

Garrigou-Lagrange: Le principe de finalité, Rev. Thomiste, 1921.

Affirmantes: Socrates, Plato Aristoteles, SS. Patres Ecclesiae, Scholastici aliqui bene multi ut Jouffroy, Ravaisson, Lachelier, Hartmann, Richet, Janet.

Probatio:

1- Existit finis,

Quod probatur a posteriori pro entibus quae subsunt experientiae nostrae, a priori pro agentibus ut sic.

A Posteriori:

a) entia intelligentia quae experientia nostra attingere possumus propter finem agunt. Testimonio enim conscientiae patet quod semper agimus intendendo aliquid: aut ipsam actionem aut aliquid per illam obtinendum quod nobis allicit et invitat ad agendum. Hoc est finis sive sit intellectus, sive pure imaginatus. Patet etiam ex modo agendi ac loquendi ita esse pro aliis hominibus.

b) entia non-intelligentia, sive cognoscentia sive non cognoscentia etiam agunt propter finem. Semper enim aut saltem saepius ita agunt ut quod illis optimum est obtineant. Ordo iste utpote constans, permanens, non est a casu qui non est nisi causa per accidens et in paucis. Sequitur ergo quod actiones eorum ad aliquid determinatum ordinantur propter quod sunt, dum ad istius facti. explicationem -scilicet ordinis constantis- : non sufficiat ad causam efficientem recurrere. Ete-

nim nihil minus quaeritur quam, cur agat notius quam non, cur tali modo semper aut saltem saepius quam aliter; neque ad organisationem materiae. Talis enim organisatio cum non sit ex ipsa ratione materiae i.e. cum non adsit necessitas absoluta, intrinseca materiae tali modo se habere potius quam alio, non per seipsum explicatur. v.g. non est de essentia ossium, nervorum, muscutorum, carnis, <sup>na</sup> per~~narum~~ ita disponi ut alas forment. Si igitur de facto ita disponentur ut hujusmodi habeatur compositum, rite concluditur hoc a materia non esse. Recurrendum est ergo ad efficientem et per illum ad finem, Et ita fas est dicere non tantum: avis quia alas habet volat, at bene etiam: avis ad volendum alas habet. Ad meliorem intelligentiam probationis notandum est quod, si aliquid ex natura sua necessitate absoluta tali modo se habet non est petenda explicatio ex parte finis; ita non quaeritur cur homo sit animal rationale, bene tamen cur homo existat, cur pedes et manus habeat. Hoc bene notat P. Garrigou-Lagrange pro mathematicis: "on ne se demande pas pourquoi le triangle est triangle, la question n'aurait aucun sens; -hic apparet ratio cur Spinoza alique fautores "Physicae quantitatis" (J.Maritain Refl. sur l'intel. ch. VI) finalitatem neglexerunt - mais on peut se demander pourquoi cette portion de la matière est triangulaire au lieu d'être ronde, pourquoi elle a reçu la conformation de l'oeil au lieu de devenir oreille." Necessitatem absolutam a necessitate hypothetica clare distinguit S. Thomas in Epusculo 31 (27) De principiis naturae. Et docet necessitatem absolutam esse, a causis prioribus in viam generationis et illam "necessitas materiae" vocat; necessitatem vero conditionalem seu hypotheticam dicit a causis posterioribus in viam generationis provenire "et haec dicitur necessitas finis". Sed in De Veritate qu.5. art.2 ad 5 affirmat quod "ista determinatio quae res naturalis determinatur ad unum, non est ex seipsa, sed ex alio; et

ideo ipsa determinatio ad effectum convenientem providentiam demonstrat".

Ergo agentia quae experientiae nostrae subsunt propter finem agunt.

A Priori:

Evidens est finem exi tere, nam principium; omne agens agit propter finem, est per se notum et non declaratur nisi per reductionem ad principium superius scilicet ad principium rationis sufficientiae. Quod facile intelligitur si comparatur principium rationis sufficientiae cum principio causalitatis quoad naturam et extensionem. Imprimis sciendum est quod causa dupliciter sumitur: primo ad significandam causam in cognoscendo i.e. ratio explicativa et quasi justificativa rei prout abstrahit (non includit neque excludit) causalitatem in essendo. Secundo sensu quo significatur causa in essendo i.e. aliquid non tantum justificativum et explicativum rei, sed revera tribuens esse cum dependentia illi cujus est causa. Ex hoc deducitur quod omnis causa in essendo est etiam causa in cognoscendo rei sed non e converso. Et tunc duo ex illis oriuntur principia per se nota:

1) principium rationis sufficientis: "nihil est sine ratione sufficiente".

2) principium causalitatis: "nihil fit sine causa proportionata", est determinatio, applicatio restrictiva principii rationis sufficientis. Sed quia omnis causa in essendo est simul causa in cognoscendo et quia principium rationis sufficientis tot induere debet formas quot rationes sufficientes seu causae in cognoscendo esse possunt, sequitur quattuor esse formas principii rationis sufficientis sicut et principium causalitatis secundum quattuor genera causarum i.e. sicut dantur causae in essendo tum extrinsecae: efficiens et finalis, tum intrinsecae: materialis et formalis, dummodo causae in essendo simul sint causae in cognoscendo quattuor dari

possunt alicujus rei rationes sufficientes scilicet extrinsecae: efficiens et finalis, intrinsecae: materialis et formalis.

Principium causalitatis, ut patet, ad omne ens creatum sese extendit etsi analogice pro causis intrinsecis. Nam omne ens creatum habet essentiam realiter ab existentia distinctam; essentia ut causa materialis intelligitur quia recipit et limitat existentiam, existentia ut causa formalis quia essentiam actuat in qua recipitur.

Principium rationis sufficientis (quia minoris comprehensionis) majoris est extensionis. a) Secundum rationes intrinsecas ad omne ens (analogice ut patet) sese extendit, etiam ad ipsum Deum. Essentia enim divina secundum nostrum imperfectum modum cognoscendi est velut ratio sufficiens intrinseca quasi-materialis et esse, quasi formalis, licet essentia et esse in ipso non nisi distinctione rationis ratiocinantis cum fundamento in alia re (in creatura) distinguantur. Nam si quaeritur cur Deus sit primum ens, respondetur quia existentia ejus est illimitata, si quaeritur cur existentia ejus sit illimitata, dicetur quia essentia ejus est illimitata ob identitatem cum suo esse. b) Secundum formas quibus significantur rationes sufficientes extrinsecae, principium rationis sufficientis extenditur ad omne ens cujus rationes sufficientes intrinsecae non sunt ultimae sed aliam ulteriorem rationem explicativam requirunt i.e. ad omne ens quod ita est, ut datis rationibus sufficientibus intrinsecis, requiratur ad suam plenam explicationem alias dari rationes. V.g. De Deo postquam dantur rationes sufficientes intrinsecae non ultra remanet quaestio ponenda, neque igitur ratio assignanda, non quaeritur cur Deus sit ipsum esse subsistens (saltem si in hoc ponitur ejus essentia metaphysica); sed de Deo agente i.e. de actione divina (licet increata sit et realiter identificetur cum sua essentia) quia ad instar actionis creatae intelligitur, bene quaeritur unde sit et ad quid sit. Ad primam quaestionem responditur assignando rationem efficientem

scilicet ultime substantiam divinam; ad secundam indicando rationem finalem scilicet amorem suae bonitatis. Patet igitur quod principium: omne agens agit propter finem non sit tantum forma principii causalitatis sed vere principii rationis sufficientiae: est formula principii finalitatis.

Ergo omne agens agit propter finem: Deus et creatura, creatura cognoscens, cognitione sive mere intellectuali, sive intellectuali et sensili, sive mere sensili, et non-cognoscens. "Ce panorama métaphysique embrassant analogiquement le créé et l'incréd est infiniment supérieur à tous les paysages sensibles qui ravissent l'artiste, il nous prouve la spiritualité et l'immortalité de notre âme, qui peut s'élever à la contemplation d'un tel objet infiniment supérieur, à l'espace et au temps." Garrigou-Lagrange op. cit. Si analogia hujus principii consideratur apparet quod Deus agit propter finem, nam "licet nihil aliud a Deo sit finis Dei, tamen ipsemet est finis respectu omnium quae ab eo fiunt: et hoc per essentiam suam, cum per essentiam suam sit bonus". S. Th. I, q.19, art.1, ad 1. Minime tamen Deus agitur a fine. "Vult ergo hoc esse propter hoc; sed non propter hoc vult hoc." I, q.19, art.5. Creatura intelligens agit propter finem ad illum esse dirigendo i.e. cognoscens ipsam rationem finis et consequenter eligens media ad illum obtinendum, dum "cognoscere rationem finis sit cognoscere habitudinem finis ad id quod est ad finem". (Cajetanus Ia, IIae, q.1, art.2). Creaturae vero non-intelligentes (etsi cognoscentes cognitione sensili, rem quae est finis) quia non cognoscunt ipsam rationem finis, ordinantur ab alio ad finem propter quem agunt; et sic requiritur supremus rerum "Rector potens" ac Gubernator. Attamen non-obstantibus his differentiis hoc communis haberet creaturae quod finis eorum sit causa.

2- Existit causa finalis seu finis agentis creati est causa.

Nam finis agentis creati est principium reale et positivum influens esse in effectum secundum quod ab illo dependet. Quod breviter probatur. Creatura quia essentiam realiter a suo esse distinctam habet non est

sua ultima perfectio sed limitatur. Jamvero omne ens appetit perfectionem suam ita ut habens illa fruatur, carens illam ipsam quaerat. Agens igitur creatum non agit nisi ad semetipsum perfaciendum. Perfectio quae sita finis vocatur. Hoc principium est secundum rem, ut patet, et est positivum utpote perfectio. Quod influat in effectum esse secundum quod effectus ab illo dependet, sequitur ex hoc quod talis perfectio determinat agens ad actionem eliciendam qua effectus esse cum dependentia recipit. Probata existentia causae finalis, nunc contra adversarios supra enumeratos breviter de existentia finalitatis externae agimus.

#### D E FINALITATE EXTERNA

Adest etiam in natura finalitas quae externa dicitur secundum quam ens aliquod ad aliud superius ordinatur. Etenim sunt in rerum natura entia quae ex essentia sua inferiora sunt et imperfectiora aliis, sed imperfectum ad perfectum ordinatur. Et consequenter non-viventia ad viventia ordinantur, viventia non-cognoscantia ad cognoscantia cognitione sensili (inter quae etiam inferiora sunt propter superiora) et haec omnia ad hominem. Superiora super inferiora dominium habent ita ut illa destruere possunt ad vitam suam sustentandam. Parum urget objectio quod si in rerum natura, entia essentialiter diversae perfectionis ita subordinantur, aliqua entia ad non esse ordinantur, quod repugnare videtur. Nam respondendum est quod realis ordinatio ad non esse simpliciter utique repugnat non tamen ad non esse secundum quid i. e. ad aliud esse afortiori, si aliud esse superius est. Nam sacrificium hoc metaphysica ordinatione naturae exactum retributionem aliquomodo recipit. Etsi enim rejicitur metempsychosis, bene dici potest quod materialiter mediantibus corruptionibus entia inferiora quasi-reviviscunt in superioribus. Sicut herba quae assimilatur a bruto. Inferiora entia esse ad hominem patet ex eo quod Deus vult creaturas propter gloriam suam externam formalem ultimo et tunc vult non-intelligentia ad hominem ordinari, cum ille

cognitionis et laudis actibus gloriam. Illo tribuit. Hoc sensu homo est rex creationis: jus proprietatis habet in entibus inferioribus. Sed etiam ob illam rationem mediator est naturalis inter Deum et alias corporeas creaturas: ideis enim divinis particeps earum quoque proportionaliter proprietates habet, scilicet dirigere potest aliquomodo entia inferiora et seipsum ad finem proprium et insuper creaturas (sive alia a se sive seipsum "omnis enim creaturae aliquid habet homo" S. Gregorius, Homil. in Asc. Dni) ut participationes divinae bonitatis cognoscens et illam laudens, alterum mediatoris officium implet. Haec doctrina fundamentum est valde pretiosum ethicae specialis.

Satis est de fine, paucis verbis nunc de correlativo finis scilicet de medio agitur."

**MEDIUM**, ut ex voce ipsa patet, est aliquid inter duo. Sumitur nunc pro illa re quae interest agenti et fini. Et id quo agens attingit finem. Ordinatio ejus ad finem in ipsa finis definitione affirmatur: id cujus gratia aliquid fit, "aliquid" est medium et tunc medium propter se non appetitur (si est pure medium) sed tantummodo gratia finis. Quod, data divisione boni, melius intelligetur.

#### B. Praedicati conclusionis:

1- **BONUM** est aliquid appetibile, desiderabile. Multipliciter dividitur, sequentes divisiones ad nostrum saepe sufficient.

a- Ratione perfectionis: quia aliquid non est desiderabile nisi in quantum perficere potest, bonum dividitur secundum diversos modos perficiendi. Sub hac ratione habetur bonum physicum et morale. Physice sumptum, bonum est quodcumque ens ad aliquomodo perficiendum aptum. Bonum morale utique designat aliquid aptum ad perficiendum sed modo speciali i. e. secundum regulam

moralitatis, conformiter cum illa. Cum thesis nostra non sit ex ethica, praecipue primo modo in illa ~~est~~itur. Item dicendum est de malo: physice est carentia perfectionis, ergo nihil positivi, malum autem morale potest esse perfectio physica sed est carentia conformitatis cum regula morum.

b- Ratione status. Bonum non appetitur a voluntate nisi sit cognitum (quod etiam verificatur de appetitu elicito sensili). Tunc habetur bonum in esse intentionale, prout cognitum et bonum prout est in se i.e. in esse reale seu in rerum natura, quod tamen distinguitur ab "esse in executione quod est esse in dependentia ad agens". (Cajetanus in I-II, qu.1, a.1)

c- Ratione appetibilitatis: suum bonum est appetibile ergo tot modi appetibilitatis, quot modi esse bonum. Sed tripliciter aliquid appeti potest: ita ut non propter seipsum sed tantummodo propter aliud ad quod ducit quod est bonum utile, aut ita ut quod appetitur propter se quaeratur aut etiam quiescatur in illo. "Id autem quod appetitur ut ultimum terminans totaliter motum appetitus, sicut quaedam res in quam per se appetitus tendit vocatur honestum; quia honestum dicitur quod per se desideratur. Id autem quod terminat motum appetitus, ut quies in re desiderata, est delectabile." 3.Th.I, q.5, a.6.

d- Ratione realitatis bonum dividitur in verum seu reale bonum et in bonum apparens tantum.

2- AMOR est motus appetitus, et praesertim appetitus eliciti. Ipse est actus quo appetitus in aliquo sibi convenienti tendit desiderando quando dicitur, fruendo dum possidetur. Quia vero a duplici pendet principio scilicet: a facultate, effective et finaliter a bono, dupliciter sumi potest: active prout elicitor a facultate sic dicitur amor activus, passive prout dependet a objecto et ita vocatur amor passivus. Notandum est amorem dupliciter erga bonum se habere juxta illud Dionysii: "Amor est circulus a bono in bonum revolutus". "Nam circulus est, qui redit ad suum principium, seu in quo idem est principium et terminus: amor autem idem habet principium et terminum; originetur enim a

bonitate finis tamquam a pendere inclinante voluntatem: et praeterea ordinatur ad eandem bonitatem tamquam ad suum centrum; amor enim est motus in bonitatem, in qua quiescit tamquam in proprio termino". (Goudin I Physic. q.5, art. 3 in fine). Patet amor passive pendere bono prout est principium ejus prout terminus.

## II- Explicatur tota conclusio:

Trius partibus complectitur conclusio. Dicendo: causa finalis constituitur per solum bonum, proprium principium causalitatis finalis designatur. (1). Verbis: bonum prout est in se, exprimitur ratio constitutiva causae finalis in actu primo, movens amore passivo: ipsam causalitatem finalem in actu secundo dicit. Notandum quod adverbium "formaliter" modificando verbum "constituitur, totam propositionem determinat.

### CONCLUSIO QUOAD JUDICIUM SEU SENTENTIAM

Circa primam partem conclusionis, surgit problema: utrum solum bonum finalizare possit. Difficultas praesertim est pro libertate gaudentibus. Hujusmodi etiam agentia aliquando ad aliquid mali tendere sine dubio experimur. Quaestio consequenter ex hoc oritur scilicet possit-ne malum qua malum finalizare an tantum sub ratione boni. Ogcam et communiter Nominalistae tenent malum ut sic finalizare possibile esse dum malum propter se amari posse doceant. Similiter nonnulli Scotistae pro quibus ratio constitutiva finis in actu primo est "quid bono et malo commune". (Hugon)

Ipsam autem Scoti sententiam difficile est stabilire. In I Sent. dist. 1, circa finem longissimi articuli quarti: Utrum fine apprehenso <sup>per</sup> intellectum necessario voluntas eo gruatur? (ubi affirmationes quasdam Doctoris

(1). Bonum esse principium causalitatis finalis docent: Goudin (I, Physic, q.5, a. 2) et Suarez (Met., disp.23, sect.5). Alii, ut Hugon, bonum ut constitutum formale causae finalis in actu primo remoto tenent. Sed haec parva differentia est ex diverso respectu sub quo bonum consideratur.

Angelici ac Henrici Gandavensis valde improbat, ) respondens ad tertium argumentum inquit: "aliter dicitur quod non est probatum, quin voluntas possit bonum nolle in quocumque nulla invenitur ratio mali, vel defectus boni; sicut non est probatum quin possit velle illud in quo non invenitur aliqua ratio boni, et hoc, vel prius in re vel in apprehensione quam illud terminet actum volendi, de hac parte alias erit sermo". Ubi ad quaestionem secundum II Sent. dist. 43, alludit, quam inferius scrutabimus. Statim dicatur quod in hoc loco non clare sententia sua apparet, vel saltem non firmiter tenetur. Itaque auctores circa suum sensum non concordant.

Pater H. de Montefortino, o.f.m. in Duns Scoti Summa theologiae quam "juxta ordinem et dispositionem Summae Angelici Doctoris" fecit, (I-2, q.8, art.1) firmiter tenet voluntatem esse tantum boni. Post enim positam difficultatem ait: "Respondeo dicendum voluntatem appetere malum quia tale, contradictionem involvere"... quia "malum nequit esse objectum determinativum actus volendi" nam "appetitus non fertur appetendo et volendo nisi suam perfectionem, seu in objectum a quo expectat suam perfectionem". Ergo secundum hunc auctorem Scotus minime doceat malum quia tale finalizare possit.

Ex altera parte Capreolus in II Sent. dist. 34, q.1, inter adversarios secundae suae conclusionis ("quod bonum importat respectum ad appetitum) Scotum numerat, ubi dicit: "Contra secundam conclusionem arguit Scotus (2<sup>a</sup> Sent. dist. 43, q.2). Nam illa conclusio supponit quod objectum propositum et adequatum voluntatis sit bonum, ex quo sequitur quod voluntas creata non possit aliquid velle, nisi ostendatur sibi per intellectum sub ratione boni. Contra hoc arguit sic. Voluntas creata potest velle aliquid, quod non est vere bonum nec apparenter bonum; igitur conclusio falsa."

Similiter Suarez (Met., disp.23, sect.V) Interrogationi: "Malum ut malum possitne causa esse finalis", respondit: "Sed occurrit statim controversia cum Ockam et aliis Nominalibus, dicentibus posse voluntatem ferre in malum

sub ratione mali... Inclinat etiam Scotus"...

"Quidam tenent etiam malum quia malum posse finalizare", dicit Goudin (Ia pars Physicae, q.5.a.2). "Pro hac sententia referuntur Ockam, Major, Almainus, imo ipse Scotus, quamvis plures illum excusent, ita ut voluerit solum vera mala, etiam cognita ut talis, posse finalizare, inquantum aliqualem boni apparentiam suberint, saltem quatenus in iis exercetur libertas."

Plerique philosophi tenent malum nonnisi sub ratione boni finalizare posse. Hoc probamus.

Circa secundam partem conclusionis,

magis numerosae sunt sententiae et dissensus maior est inter scholasticos et etiam Thomistae (saltem veteres). Causa finalis in intentione causalitatem suam exercet. Pro cognoscentibus quae sese dirigunt ad finem a quo moventur, hoc fit per cognitionem. Utrum cognitio sit de constitutivo causae finalis an solum modo conditio: "hic jacet lepus". Communior est sententia tenens cognitionem esse solum conditionem requisitam ad exercitium causalitatis finalis. Pro hac numerantur: Cajetanus (in I-II, q.1. a.1, ubi affirmat Averroes illam tenuisse), Ferraricensis (in I, Contr. Gent. c.64), Joannes a Sancto Thoma (ph. nat. I, q.13, a.1), Suarez (Met. disp. 23, sect. VIII), Scotus, Ockam, Javellus, Soto, Fonseca, Goudin (I Physic., q.5, a.2), Almainus (I-II Ph. nat. q.12, a.5) etc. Docent quod: "cognitio est conditio finalizandi, ratio vero formalis est ipsa bonitas quae convenit rei secundum se, et non ratione apprehensionis, sive secundum esse possibile, sive secundum esse existens." (J. a S.Th. l.cit.) Hanc sententiam elegimus.

Negantes cognitionem esse conditionem finalizandi diversae sententias tenent.

Plerique docent quod cognitio finis est de constitutivo formali causae finalis. Ita Soncinus et Medina "et nonnulli alii moderni Thomistae" (Suarez l. cit.). In textibus aliquibus Sancti Thomae doctrinam suam fundant;

de hac sermo erit. Joannes a S. Thoma dicit quod haec sententia a Capreolo attribuitur, sed ad nullum locum confert. Haec tamen affirmatio videtur fundamentum habere in sua comment. in II Sent., dist. 25, q.1. a.3 ubi solvendo argumenta contra primam partem conclusionis suae scil. quod voluntas movetur ab intellectu, ex art. 12 q.22 de De Ver. deducit: "Ex quibus patet quod objectum voluntatis in esse cognitio, vel ipsa cognitio intellectus, aut etiam ipse intellectus, non movet voluntatem per modum causae efficientis, sed per modum finis." Ipse autem finis non movet ut agens, sed ut ratio agendi, habens esse intentionale et non naturale." Quamvis forte possit aliter interpretari.

2) Secundum Joannem a S. Thoma<sup>s</sup> duae sunt aliae sententiae: Vasquez docet quod conceptus formalis sit conditio requisita ad finalizandum sed cognitio prout "dicit conceptum objectivum, et esse intentionale in intellectu, sic induit rationem formalem finalizandi".

3) Aliter sententia est Magistri Bannes 1, q.XC, ar. II, ad argumenta primae sententiae, qui affirmat cognitionem non esse formalem rationem finis sed radicalem, quatenus cognitio est radix appetitus tendentis in finem; et hac ratione potest pertinere apprehensio ad rationem objectivam specificantem." (J. a S. Th., loc. cit.)

Circa tertiam partem conclusionis, non est parva difficultas: quomodo in actu finis finalizet. Per analogiam cum causa efficiente causa finalis cognoscitur et tunc dicitur movere, notio autem est metaphorica non realis, nihilominus causalitas finis realis esse debet, si enim "causa causarum" realem non haberet causalitatem quid de aliis eveniret? Sed quid sit ista realis causalitas quae est motio metaphorica? Multae sunt sententiae, praecipuas tantum enuntiamus, ita tamen ut aliae (salvis aliquibus modificationibus ut patet) ad istas reduci possint.

"Quidam..., ait Suarez in Met. disp. 23 sect. IV, ab hac difficultate se facile expediunt, causalitatem hanc nihil aliud esse, nisi quod actio vel effectus fiat propter finem, seu gratia finis." Ita Cajetanus quem refert Doctor Eximius. In II-II, q. 17, a.5 (Utrum spes sit virtus theologica) respondens Durando asserenti spem habere Deum pro objecto principali quamvis mediato, ait: .. "quemadmodum in causa effectiva inveniuntur tria, ratio agendi, actio, et passio (vel aliquid per modum passionis) effectus actionis; ita in bono quod exercet causam finalem est ratio finalizandi, est ipsum finalizare, et est effectus ejus. Et quemadmodum in effectivis ratio agendi est aliquid in ipse agente, et significatur per ly quo agit; ita in finalibus ratio finalizandi est in ipso fine, et significatur per ly cujus gratia; constat enim quod id cujus gratia Deus est causa finalis, est ipsa sua deitas, quae est ipse. Sed actus secundus finis non est nominatus sicut actus secundus agentis, et significatur per ly esse propter quod: tunc enim tantum finis finalizat in actu, cum actu est propter quod. Effectus quoque finis innominatus est; et significatur per ly propter finem."

Alii amplius "ipsum finalizare" exposuerunt, non tamen omnes aequo feliciter. Nam nonnulli tenent "finem actu finalizare per impressionem cujusdam qualitatis" ut refert Goudin (loc. cit. a.3) quam sententiam Joannes a S.Thoma attribuit Cahero, similemque illi, Aegedio. Sed patet illam sustineri nequit, dum attribuat fini potius causalitatem efficientem.

Conimbricensen et Fonseca et alii aliter explicaverunt causalitatem finis. Ambo dicunt illam consistere in ostensione objectiva suae bonitatis, quo requirit intellectum. Fonseca (sec. Suarezium) ponit hanc ostensionem effici actu quando elicitur ipse actus voluntatis, non tamen a fine esse distinctam. Alii (ita videntur Conimbricensen) causalitatem in actu secundo finem, ante actum secundum causae efficientis (actum voluntatis) posuerunt, ita ut actus secundum causae finalis constituet causam efficientem in actu

primo. Sed, ut bene respondet Suarez, hoc difficulter admitti potest, cum causa in actu secundo causalitatis esse non potest quin effectus eius sit actu, sed effectus causae finalis et ipsum agere causae efficientis, ut probabitur, Neque prima sententia (Fonseca) sustineri potest, nam concursus alicujus causae "numquam significat causam ipsam, sed aliquid quod proxime profluit a causa in suo genere, quo causet effectum." (Suarez).

Aliter declaraverunt causalitatem causae finalis, Suarez, Rubius, Complutenses, plures Thomistae et Scotistae. (1), asserunt esse ipsam actionem agentis praesertim voluntatis operantis, quae actio sub respectu egressivis, et dependentiae ab agente dicitur actio, sub dependentia a fine, est finalizatio. Quid sit autem ista dependentia a fine, restat explicandum." (J. a S. Th.)

Hanc explicationem dat ipse Joannes a S. Thoma: "Metaphorica motio, qua finis dicitur causare secundum veritatem, est primus amor finis, ut passive pendens ab appetibili, non ut active elicitus a voluntate". Goudin et plerique hodierni Thomistae, illum sequuntur. Hanc sententiam eligimus.

(1). Illi tamen deficere videntur in eo quod docent, causalitatem finis esse idem ac actio voluntatis fundamentaliter, formaliter vero esse relationem a relatione causae efficientis realiter distinctam et subjectam in ipso fine. "Sed, ait J. a S. Th., mirum est quod fundamentum hujus relationis dicitur esse ipsa actio efficientis et tamen subjectari dicitur in ipso fine. Quomodo ista cohaerent? Cum relatio numquam separetur a fundamento."

## CONCLUSIO QUOAD RATIOCINIUM.

## I Probatur:

CAUSA FINALIS FORMALITER EST ILLA QUAE IMPELLIT AGENS AD ACTIONEM ELICIENDAM, PER MODUM TERMINI ALLICIENTIS.

ATQUI SOLUM BONUM FORMALITER PROUT EST IN SE ET MOVENS AMORE PASSIVO IMPELLERE POTEST AGENS AD ACTIONEM ELICIENDAM PER MODUM TERMINI ALLICIENTIS.

ERGO CAUSA FINALIS FORMALITER CONSTITUITUR PER SOLUM BONUM PROUT EST IN SE ET MOVENS AMORE PASSIVO.

... "finis non est causa, nisi secundum quod movet efficientem ad agendum." (De Pot. q.5, a.1)

MAJOR: cum ipsa definitione causae finalis - "id cuius gratia aliquid fit" - concordat. Ex his enim verbis, est causae finalis obtinere quod aliquid efficiatur. At cum id quod efficit aliquid non sit nisi efficiens, sequitur quod influxus causae finalis in hac causa per se primo esse debet. Causa vero efficiens per actionem suam actu facit aliquid; consequenter causam finalem, praecisius ad efficientis actionis emanationem seu ad ipsam actionem eliciendam concurrere oportet. Hoc autem dupliciter possibile est: aut per modum praemotionis aut per modum allicientis; inclinando ipsa aens et illud quasi suadendo ut actionem eliciat. Primus modus excluditur: est efficientis. Ergo secundus remanet et hoc per verba "cuius gratia" i.e. cuius amore, enuntiatur. Finis seipsum amare facit, et eo ipso, amans suum ad agendum impellit ut per hoc ab illo attingatur. Sed evidens est causam finalem hoc munus adimplere nequiret, nisi aliquis terminus esset sicut eius ipsum nomen designat. Si enim causa finalis non esset aliquomodo ab agente remota sed statim ab illo atacta et possessa, nullo modo necessitaretur quod agat ad illum habendum et tunc non esset "id cuius gratia aliquid fit". Ergo idem

significat major ac definitio causae finalis. Atqui haec definitio est recitata i.e. plane naturam hujus causae significat. Nam ratio philosophica in dubie causae finalis existentiam exoptulans, simul talem esse ejus naturam exigit. Ut jam dictum est, ad aliquem effectum producendum agens requiritur. Sed quae erit ratio actionis suae? Necne est, igitur admittere aliquid ejus gratia agit et effectum producit. Hanc notionem causae finalis clare docent Aristoteles et Sanctus Thomas. "Adhuc autem quemadmodum finis. Hoc autem est quod ejus causa, ut ambulandi sanitas. Propter quid enim ambulat? Dicitur, ut sanetur: et dicentes sic, opinamur assignare causam." (Arist. II Physic., c. 3 text. 29.) "... finis dicitur causa efficiens, cum efficiens non operetur nisi per intentionem finis." (S. Thomas, Opusc. de Principiis naturae)(1)

Ad quod confirmandum multi alii textus dari poterant, quorum aliqui in primo corollario inveniuntur. Consequenter, vi ipsius notionis, causa finalis causalitatem suam immediate in solo agente exercet et per se primo non facit nisi ut illud actionem eliciat.

Contra quod tamen obicitur potest illud Angelici (I-II, qu.1, a.2): "agens (autem) non agit nisi ex intentione finis. Si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, magis ageret haec quam illud. Ad hoc ergo quod determinatum effectum producat, necesse est quod determinatur ad aliquid certum, quod habet rationem finis." Ergo finis non est praecise agens impellere ad actionem sed potius effectum determinare.

Ad hanc difficultatem solvendam notandum est:

a) saepe accidere effectum ab agente productum eundem esse ac finem qui, prout in intentione, agens movet ad actionem eliciendam. In quo casu, clarum est quod agens quia talem determinatum intendit finem, talem determinatum producit effectum. Sed taliter ab idea seu exemplari procedens et quasi effectus

1). Ita etiam Scotus: "finis non est causa, nisi inquantum amatus et desideratus movet efficiens ad efficiendum." (Prol. q.4).

mediatus causae finalis, nam exemplar non considerat agens ut ab ipso realisandum nisi jam ab illius bonitate attractum.

b) Quod sit e contrariis effectus producendus est tantummodo medium quo agens finem suum obtinere cupiat, etiam a causa finali limitabitur, medium enim fini proportionatur, sed non est electio ac determinatio mediorum effectus immediatus causae finalis. Hoc enim supponit agens jam amare finem et illius gratia jam agere incipisse: efficiens talem elegit effectum faciendum appote utilem ad finem amatum attingendum. Tunc, etiam hinc, exemplar, in intentione, effectum specificavit, et hoc exemplar potius quam aliud electum est quia ad finem utile. Bene ergo dici potest: nisi agens ad finem determinatum ageret non magis sequeretur hoc quam illud; assignando effectum qui etsi non est immediatum, necessarium quoque est et magis apparens

Sed aliud obicitur, ibidem enim art. 3, probat Sanctus Doctor actus humanos ex fine recipere speciem, et consequenter licet finis non immediate effectum specificat, quia immediate in agentis actione influit videtur causam finalem per se primo ipsi actui speciem tribuere.

Respondendum est quod in fine (qui non est omnino idem ac causa finalis: omnia causa finalis est finis sed non e converso ut in primo corollario dicetur) duo distinguenda sunt: ratio objecti et ratio finalizandi. Potest enim considerari finis in quantum est objectum in quo appetitus fertur aut in quantum finalizat et ultimet. Hanc distinctionem facit Joannes a Sancto Thoma inter rationem finis et objecti: "differunt penes diversa officia, et respectus: est enim munus objecti, specificare actum tamquam principium extrinsecum, a quo pendent actus in sua specificatione, unde objectum invenitur tam in eo quod est finis, quam quod non est finis... At vero munus finis non est specificare seu determinare id quod ad speciem, et constitutionem rei pertinet, sed terminare et ultimare..." (Ph. nat. I p. q.13, a.1). Cajetanus quoque hoc distinguit (praesertim in I-II, q.1, a.4 n.II). Non tamen est

dicendum Sanctum Thomam non servavisse sermonem formalem dicendo actus humanos a fine speciem recipere, nam ut ait Cajetanus in hoc loco:..."finis, in quantum finis, habet quod sit objectum voluntatis, et sit ratio agendi talis potentiae, cujus est proprium objectum; et sic est sermo formalis, quod finis specificet actionem humanam."

Ergo causae finalis, causalitate finali, non est specificare extrinsece, sed hoc pertinet ad causam formalem extrinsecam: idea seu exemplar specificat effectum, objectum actionibus (et habitibus) dat speciem. Quando finis/<sup>cum</sup> causa formali extrinseca coincidit per hanc causalitatem effectum specificat: Quando non coincidit cum effectu, impellit agens ad tale exemplar eligendum utpote utile ad finem. Deinde quia objectum est finis -causalitate objecti, quae est quasi species causalitatis causae formalis extrinsecae-, actum specificat. Attamen causa finalis causalitate propria, immediate in solo agente influit, et per se primo non facit nisi ut illud agens actionem eliciat. Hoc servari oportet si munus proprium causae finalis assignatur. Specificare est actus, et pro nobis, (actum per analogiam cum forma intelligentibus), est formae: intrinsece specificare est causae formalis, extrinsece<sup>ae</sup> est ideae seu exemplaris et objecti quae ad causam formalem extrinsecam reducuntur.

MINOR: SOLUM BONUM FORMALITER PROUT EST IN SE ET MOVENS AMORE PASSIVO IMPELLERE POTEST AGENS AD ACTIONEM ELICIENDAM PER MODUM TERMINI ALLICIENTIS, probatur per partes.

Prima pars: SOLUM BONUM formaliter impellere potest agens ad actionem eliciendam per modum termini allicientis.

Praenota: agens stricto sumptum est suppositum (actiones sunt suppositorum) et quidem suppositum formale -secundum sensum sententiae Cajetani i.e. natura et subsistentia- nam existentia creata non potest causare per modum efficientis, secundus non esset perfectio ultima<sup>in suo ordine</sup>; attamen est conditio insupplebilis ad hujusmodi causalitatem. (1) Ergo suppositum formale est id "quod agit, alia principia sunt" quibus<sup>sup-</sup>

1) Ita Cajetanus, in I, q.5, a.4 n.II, Joannes a S.Thoma, Ph.nat.I, q.13, a.22; cf. etiam S.Thomas, De Ver. q.21, a.2. Contrarium docet Suarez, Met., disp.23, sect.8, n.4. Ait enim: "in superioribus saepe diximus, et inferius etiam dicemus, esse existentiae respectu causae efficientis non esse conditionem requisitam, sed ipsam rationem causandi, quia est ipsa entitas rei et primum esse quod ad causandum requiritur." Valde difficile illi fuisset alteram sententiam tenere post negatam realem distinctionem inter essentialiam et existentiam.

positum agit.

"Et ideo dicitur (Arist.) quod philosophi bene enunciauerunt bonum esse id quod omnia appetunt. Nec est instantia de quibusdam, qui appetunt malum quia non appetunt nisi ratione boni in quantum scilicet existimant illud bonum, et sic intentio eorum prae se fertur ad bonum, sed per accidens cadit supra malum." (I Eth. lect. 1)

1<sup>o</sup> Prima pars minoris probatur directe:

Suppositum non agit nisi per appetitum,

Atqui solum bonum formaliter potest mouere appetitum per modum termini allicientis.

Ergo solum bonum potest formaliter mouere suppositum ad actionem elicendam per modum termini allicientis.

Major duplici momento probatur: ostendendo primo quod omne suppositum appetitum habet, antequam enim probetur omne suppositum per appetitum agere, oportet statuere omne suppositum appetitum habere, sed insuper, inuentione appetitus, natura illius declarabitur, et sic minoris probatio praeparabitur. Secundo ostendendo quod omne suppositum per appetitum agit, per hoc extensio influentiae appetitus videbitur, ita ut, probato solum bonum mouere posse appetitum, clare appareat consequens scilicet: suppositum non mouetur per modum termini allicientis nisi per bonum.

Primo: ad probandum omne suppositum appetitum habere sic procedemus: ad modum maioris statuimus principium "quolibet forma sequitur aliqua inclinatio" (S. Th. I, q. 80, a. 1), postea probamus ad modum minoris omne suppositum habere formam naturalem, cognoscens insuper formas aliarum rerum superiori modo possidere. Deinde concludimus omne suppositum habere inclinationem seu appetitum naturalem, cognoscens, aliam cognitionem sequentem.

"Quolibet formam sequitur aliqua inclinatio."

Hoc principium est applicatio principii: omne ens inclinatur in suam perfec-

tionem ita ut illam habens in ipsa quiescat, non habens illum quaerat, quod (principium) est evidens. Inclinatio enim ad imperfectionem ut sic repugnat, hoc esset realis ordinatio ad earentiam. Ad illud tamen explicandum oportet imprimis notare quod inclinatio est in seipso quiescendo, ut contigit Deo perfectionem denotat. Inclinari autem in aliud sive quaerendo sive quiescendo supponit imperfectionem, nam hujusmodi ens eget aliquo alio a se ut perficiatur, imperfectius est tamen in aliud inclinari quaerendo quam quiescendo. Ex hoc etiam quod ly inclinatio dicitur analogice. Nam illa qua ens quiescit in sua perfectione, non est proprie inclinatio seu tendentia, ut patet. Quidquid autem est creatum ~~ly~~ inclinatur ad perfectionem acquirendam, quia omne ens creatum, dum essentia realiter distinguitur a b ejus existentia, non est sua ultima actualitas seu perfectio, et tunc in aliud tendit quasi mendicans perfectionem suam usque dum illam possideat et illa fruatur. Ita materia prima, ex ipsa sua constitutione, tendit ad formam substantialem et generaliter potentia ad actum. Ipsa forma (sive substantialis sive accidentalis) etsi si actus, huic legi subjicitur, quia limitatur. Jamvero omne suppositum habet formam substantialem, saltem lato sensu (in creaturis spiritualibus) et formas accidentales, ergo suppositum creatum habet inclinationes ad perfectionem acquirendam, quae vocantur appetitus.(1). Hujusmodi appetitus innatus seu naturalis dicitur quia nihil aliud est quam natura ipsa rei se habens ad aliud ut ad perfectionem, quod etiam

---

(1). Suppositum ex tota natura sua ordinatur ad perfectionem, sed ejus appetitus naturalis potius attribuitur formae. Ratio hujus attributionis invenitur in S. Thoma II Physic. § 1.2. Compositum ex materia et forma non est proprie natura "quia natura habet rationem principii, compositum autem habet rationem principiatum," sed natura est materia et forma. At forma magis dicitur natura quam materia, "quia unumquodque magis dicitur secundum quod est actu, quam secundum quod est in potentia. Unde forma, secundum quam aliquid est naturale in actu, est magis natura quam materia, secundum quam est aliquid naturale in potentia."

vocatur relatio transcendentalis. Et consequenter cum dicitur quod formam natura-lem sequatur aliqua inclinatio, ly sequela est tantummodo logica, licet inclinatio sit realis, cum indentificatur realiter cum forma. Ergo omnia entia creata habent appetitus naturales. Sed inter ista, aliqua sunt cognoscentia sive sensibiter, sive intelligibiliter. Sed quid sit cognitio?

"Quid sit cognitio unusquisque in seipso experitur. Quare omnis homo conceptum cognitionis habet clarum etsi confusum (habet conceptum quo potest cognitio ab aliis rebus distingui non tamen habet conceptum quidditativum distinctum). Philosophi est conceptum hunc confusum, in distinctum convertere. Reflexione et analysi accurata ipsius actus cognitionis et comparatione cognoscentis cum non cognoscente notae essentialis cognitionis explicandae sunt". (J.Gredt) Hoc breviter facimus, ut probetur propositum nostrum scilicet, quod cognoscentis sit "receptivum specierum aliarum rerum" illasque habeat superiori modo quam illud quo habet formas suas naturales. Ad hunc scopum attingendum pedetentim gradiemus. Factum evidentissimum quod primo apparet est quod cognoscendo res externae in nobis aliquo modo habitant, et hoc magis apparet in cognitione a phantasia et memoria elicitata, dum per illas potentias res etiam absentes cognoscimus. Sed non semper hanc rem cognovimus, sequitur non semper fuit in nobis, ergo venit. Per cognitionem igitur res in nobis aliquomodo recipimus. Sed quid de rebus recipimus? res ipsae in sua realitate physica? Certe non. quid igitur? Attentus inspicienti apparet quod formas rerum recipimus. Cum e.g. rem vidimus, colorem ejus recipimus, cum odoremus, odorem recipimus, cum manducamus sapor ejus in nobis venit. Sed quid color, odor, sapor, nisi formae rei. Tunc cognoscere est recipere formas rerum cognitarum. Nunc autem de modo receptionis inquirendum est. Nam primum v.g. quam cognoscimus etiam recipit et habet formas quas cognitiones recipimus et habemus. Debemus quaerere differentiam inter pomum

et cognoscens easdem formas recipientes. Pomum antequam rubeum visum fuisset, dulce gustu etc., viride erat et amarum, et tunc cum fit rubeum et dulce pomum viriditatem et amaritudinem amittit. Ergo non cognoscens recipiendo formas novas, amittit contrarias veteres. Non sic autem cognoscens itaque cognoscens quodammodo est omnia et non-cognoscens ad suam formam limitatur coarctatur. Non enim mutatur in aliqua colore amittente propriam, quando talem aliam cognoscimus. Pomum cum fit rubeum amittendo viriditatem, ita unitur colori rubeo ut tertium novum oriatur tertium (pomum et color rubeus pomum rubeum, tertium novum). Neque ita cognoscens, quia non acquirit formam amittendo contrarias, ipso facto cognoscendo aliquam formam non unitur cum illa ita ut oriatur tertium. Pomum ita recipit colorem ut iste ad pomum limitetur neque possit informare aliud. Per cognitionem forma non hoc modo limitatur, cum eadem, eodem numero, sit in rerum natura, et sic eadem res due esse habet, per cognitionem unum habet in cognoscente, et alterum in rerum natura. Ratio hujus differentiae est quia pomum colorem recipit ut suum, cognoscens ut alterius, ut pomi, relinquendo colorem in sua "realitate" in suam "aliud a se". (Gredt) Cognoscens recipit formam alterius ut alterius non ut suam. Ergo non cognoscens recipit formas amittendo contrarias, ita ut oriatur tertium novum, limitando formam ita ut non possit esse alterius et hoc est modus recipiendi materiae. Cognoscens e contra, non amittendo contrarias, non ita ut oriatur tertium novum, non limitando illas quia ut alterius recipit. Consequenter non eodem modo ac materiae illas recipit, consequenter aliquam independentiam debet habere erga materiam et tunc dicitur recipere immaterialiter i.e. modo superiori quam modus recipiendi materiae seu potentiae. Sed hoc omnino negativum est. Itaque cum J. Maritalis addimus: "En connaissant... je deviens à l'autre", et ita aspectum positivum cognitionis habemus. Et hoc sequitur ex praecedentibus dictis. Nam etsi cognoscendo cognoscens non physice mutatur i.e. non mutatur sicut materia seu non-cognoscens quae

formas recipit, atamen aliquod incrementum acquirit, magis est post quam ante cognitionem. Ex altera parte non ita recipit formas ut oriatur tertium. Consequenter unum remanet, ita unitur cum forma cognita ut ipsamet fiat v.g. ita unitur cum forma ut ex illis duobus oriatur unum, cognoscens fit forma cognita. Sed sicut illam non recipit in suo esse physico, ut jam dictum est, non illa fit in suo esse physico, ut patet. Cognitio ergo in hoc consistit quod cognoscens fiat objectum cognitum seu forma cognita modo supra-physico seu supra-materiali quod dicitur psychicus, immaterialis, intentionalis. In exemplo allato, consideratur cognitio sensibilis. Ut patet cognitio intellectualis non est omnino idem, sed proportionaliter; in hoc tamen coincidit quod cognoscens forma cognita fiat modo supra-potentiali. Evidens est etiam omnia imperfectionem includentia non attribui possunt cognitioni ut sic. Deus cognoscendo non fit sed est objectum cognitum psychice quod idem est ac physice (diverso tamen modo sive formaliter, pro seipso, sive formaliter aut virtualiter eminenter pro aliis). In nobis vero distinguitur ordo physicus ab ordine psychice et itaque nulla creatura est sua cognitio et tunc cognoscendo fit forma cognita psychice. Sed forma cognoscenda non relinquit suam realitatem quando in me venit, non enim mutatur per cognitionem, quando igitur cognoscens non est cognitum in actu primo neque hoc modo constituitur per informationem immediatam, forma cognoscenda per vicarium aliquod venit quod species impressa vocatur. Est quasi semen fecundans potentiam cognoscitivam et id"quo" cognoscit seu fit forma cognita. Sed haec species impressa duplici modo venit in potentiam cognoscitivam: primo quasi materialiter sicut quaecumque forma, et sic oriatur tertium novum (potentia fecundata specie) et tunc hoc modo recipitur materialiter seu potentialiter; secundo cognoscibiliter sive sensiliter sive intelligibiliter praecise ut vicarium objecti et sic recipitur ut oriatur unum. Tunc sequitur quod cognoscens specie impressa, recipit et habet formam cognitam modo altiori quam

receptio et possessio formae a non cognoscente. Ergo sequitur quod etiam has formas aliqua inclinatio sequatur ad formam ita ut, si habetur, in illa sit quies et fruitio, si nondum habetur, quaeratur. Notandum est quod inclinatio non est ad speciem qua fit cognitio sed ad rem cuius est similitudo. Haec enim species sicut ut sic non est in cognoscente nisi cognoscibiliter i.e. nisi sicut vicarium objecti "quo" potentia cognoscit rem, ita inclinatio est ad ipsam rem quam repraesentat. Hoc a Cajetano in I, q.19, a.1 cum explicat cur S. Thomas de forma intelligibili ad inclinationem ad ipsam rem concludebat, recte exprimitur: "... si contemplatus fueris quod cognoscere est cognoscentem esse actu cognitum, et quod, quia omne esse est secundum aliquam formam, quod hoc esse quod significat cognoscere, est secundum formam cognoscibilem actu in genere cognoscibili; videbis... quod formam intelligibilem constituere in actu, est constituere ipsum in esse rem apprehensam ut sic. Et consequenter in processu litterae a forma intelligibili ad rem apprehensam, in prima consequentiarum nullum fecit vitium, nulla obliquitas, sed artificiosa expressio; quod de forma intelligibili loqueatur, non in genere entium, sed in genere intelligibili, non qualitercumque, sed in quantum constituit intellectum esse cognitum apprehensibiliter." (1)

Jamvero haec inclinatio ad rem cognitam sequens formam cognoscibilem, superiori modo erit, dum esse altiori gradu (intentionale) sequatur. Duo sunt igitur genera appetitus seu inclinatio, tendentia: appetitus sequens formam naturalem in suo esse physico et appetitus sequens formam cognoscibilem in suo esse intentionali, "quia omne esse sequitur appetitus, et

(1). Similiter Pègues in eodem loco: "Et comme cette forme (intelligible aut sensible) est la forme d'un autre, de là vient que l'appétit animal ou rationnel ne se termine pas seulement à la forme intelligible ou sensible parfait ou devant parfaire le sens ou l'intelligence; il va à la chose même dont cette forme sensible ou intelligible est la similitude, et qui est saisie par le sens ou l'intelligence, non pas précisément comme la perfection et l'achèvement de ces facultés prises séparément, mais comme la perfection et l'achèvement de tout le sujet où elles se trouvent" (circa medium corporis)

proportionaliter quale esse talis appetitus, merito (quia duo tantum sunt genera essendi: primum, secundum quod res est aliquid secundum naturale esse; secundum vero, secundum quod res est aliquid apprehensibiliter) oportet duplicem appetitum ponere et proportionaliter; ut scilicet, quia primum genus essendi consistit in esse per modum actus primi, secundum autem consistit in esse per actum secundum, qui est apprehendere, ideo appetere appetitum sequente quod in cognitione consistit, est actus secundus elicited a virtute appetitiva, consequente naturam in quantum apprehensiva est" (Cajetanus, *ibid.*) Sed quia omnis creatura (quia constans ex essentia et esse realiter distincta) non est sua operatio, suus actus secundus, quia non est sua ultima perfectio, sequitur quod appetitio omnis creature sit accidens. Consequenter potentia seu facultas essentialiter ad hanc appetitionem ordinata ut ad complementum unum et specificativum est accidens. Ergo in omni cognoscenti in quo ordo physicus realiter ab ordine intentionali distinguitur, i. e. in omnibus creatis cognoscentibus habetur facultas appetitiva elicited inclinationis sequentis forme cognitione acquisita. Ergo omne suppositum habet appetitum naturalem omne suppositum cognoscens appetitum elicited habet sive sensilem sive intellectualem secundum cognitionem suam.

Ad synthesis supradictorum faciendam nihil melius invenitur quam corpus articuli 1, q. 80 prime partis Summe. "... considerandum est quod quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio; sicut ignis ex sua forma inclinatur ad superiorem locum, et ad hoc quod generet sibi simile. Forma autem in his que cognitionem participant, meliori modo invenitur quam in his que cognitionem carent, in his enim que cognitione carent, invenitur tantummodo forma ad unum esse proprium determinans unumquodque; quod etiam naturale uniuscujusque est. Hanc igitur formam naturalem sequitur naturalis inclinatio, que appetitus naturalis vocatur. In habentibus autem cognitionem sic determinatur ad proprium esse naturale per formam naturalem, quod tamen est receptivum specierum aliarum rerum; sicut sensus recipit species omnium sen-

sibilia et intellectus ~~animae~~ recipit species omnium intelligibilium. Et sic anima hominis fit omnia quodammodo secundum sensum et intellectum in quo cognitionem habentia ad Dei similitudinem quodammodo appropinquant, in quo omnia praexistant, sicut Dionysius dicit. Sicut igitur formae altiori modo existunt in habentibus cognitionem supra modum formarum naturalium; ita oportet quod in eis sit inclinatio supra modum inclinationis naturalis. Et haec superior inclinatio pertinet ad vim animae appetitivam, per quam animal appetere potest ea quae apprehendit, non solum ea ad quae inclinatur ex forma naturali. Sic igitur necesse est ponere aliquam potentiam animae appetitivam.

Secundo probatur quod nullum suppositum agit nisi per appetitum si-  
ve naturalem sive elicivum.

A priori: Agere hic dupliciter sumitur, et pro actione metaphysica ab appetitu sequenti cognitionem elicita, et pro actionibus elicitis a potentiis sub impulsu appetitus sive naturalis sive elicivum. Omne suppositum non elicere actionem metaphysicam, appetitus elicivum nisi per ipsum elicivum appetitum, probatione non eget. Sola enim potentia essentialiter ordinata ad actionem illam elicere potest. Sufficiat igitur probare quod omnis actio suppositorum sit sub impulsu appetitus sive naturalis sive elicivum. Hoc clare docent Aristoteles et S. Thomas in III De Anima, l. 15 pro animalibus. Ratio est quia omne ens agit ex inclinatione ad suam perfectionem, et speciatim quia omne ens creatum agit propter perfectionem acquirendam, (ut jam dictum est in statu quaestionis, probando quod finis agentis creati sit causa). Nam ens creatum non est sua ultima perfectio, non ergo tendit ad actionem, non petit illam, nisi quia per seipsam, utpote actus secundus vel etiam per illud quod haec actio illi affert, perficere potest. Tunc non movetur ad agendum nisi ex inclinatione ad perfectionem acquirendam. Sed hoc competit appetitui sive naturali sive elicivum, dum est ista inclinatio ad perfectionem ita ut si habeatur illa fruatur, si nondum illam quaerat, omne suppositum quocumque

actione agit per appetitum. Hoc etiam a posteriori probatur pro entibus quae subsunt experientiae nostrae. Homo, ut ex experientia interna evidens est, agit quia vult et si actio aliqua dominatione voluntatis non submittitur sub appetitus sensitivi potestate cedit. Insuper omnis potentia ex naturali appetitu inclinatur ad actionem propriam. Experientia externa patet bruta, cognoscendo aliquid convenientis ad illud tendere, illa etiam potentias naturales appetitum ad actionem possidentes, habent. Non cognoscentia vero semper agendo, in aliquid tendunt actione sua. v.g. non vivencia gravitate deorsum tendit; vivencia autem operationibus ad nutritionem, augmentationem, reproductionem tendunt, "appetere autem nihil aliud est quam aliquid petere, quasi tendere, in aliquid ad ipsum ordinatum." De Ver. q.22, a.1. Unde manifestum est quae experientiae nostrae subsunt agere per appetitum.

Ergo patet propositum seu major: suppositum non agit nisi per appetitum.

minor: atque solum bonum formaliter potest movere appetitum per modum termini allicientis.

Appetitus elicited eo quod cognitionem sequitur, in eo quod ut bonum proponitur tendit, sed cum apprehendo aliquid ut bonum, errare potest, possibile est appetitum tendere in aliquid revera non bonum illud existimans bonum. Quare cum dicitur solum bonum formaliter movere posse appetitum, significatur bonum tum reale, tum apparens, insuper bonum apparens non movet nisi praebens faciem realis boni. Movere per modum termini allicientis dicitur ut (sicut in maiore thesis) excludatur praemotio ab alio per modum efficientis. Brevitatis tamen causa, non semper hanc formulam repetimus. His dictis ad probationem minoris.

Illud solum potest movere appetitum per modum termini allicientis ad quod ex natura sua ordinatur appetitus.

Atque appetitus ex natura sua ordinatur ad convenientiam sui.

Atque convenientiam appetitui non est nisi bonum.

Ergo solum bonum potest movere appetitum per modum termini allicientis.

Explicatur major. Movere analogice et lato sensu sumitur et sic tribui potest et appetitui naturali significando: rationem dare alicujus relationis transcendentalis, et appetitui elicitive significando: obtinere elicitationem operationis. Patet ergo quod sola perfectio ad quam ex natura sua ordinatur, rationem dare possit tendentiae in perfectionem, atque talis tendentiae in perfectionem. Pro appetitu elicitivo, evidens est etiam, quia nulla potentia elicere potest actum nisi ab objecto suo formali primario determinetur, ad hujusmodi enim objectum ratione essentiae suae specificae ordinatur, et est illud quod per se primo attingitur et quod mediante omnia alia attinguntur.

Appetitus ex sua natura ad convenientem sui ordinatur: ex ipsa inventione appetitus sequitur. Appetitus est inclinatio ad perfectionem, et appetitus qui fertur in aliud est inclinatio ad perfectionem acquirendam, in qua acquisita, fruitio erit. Tunc ex natura sua appetitus ordinatur ad perfectionem. Sed ut sit alicujus rei perfectio, aliquid conveniens illi debet esse, perfectio enim seu perfectivum quod perfectio habetur, ut ex ipsa voce liquet, est aliquid complens, perficiens. Nequit igitur aliquid perfectionem esse quod complere, <sup>et</sup> perficere non potest, solum autem conveniens alicui capax est illud perficiendi; nullo modo aliquid perficitur ab inconvenienti sibi; unde axioma: omne ens tendit in sibi simile, rationem in se in illo principio habet omne ens tendit in suam perfectionem.

Ultima minor est: conveniens appetitui non est nisi bonum. Haec est ipsa boni definitio. Sic explicari potest. Conveniens appetitui est actus seu perfectio, sed bonum est actus seu perfectio sub ipsa ratione perfectibilitatis. Ergo solum bonum movere potest appetitum per modum termini allicientis, dum vero suppositum semper agat per appetitum patet prima pars minoris scilicet: solum bonum formaliter impellere potest agens ad actionem elicendam per modum termini allicientis.

Circa hanc partem notandum est: non omne bonum omnem appetitum movere posse, sed unusquisque appetitus in suum bonum, in convenientem sui incli-

natur "unicuique enim rei est bonum quod convenit ei secundum suam formam et malum quod est ei præter ordinem suae formae". S.Th.I-2, q.18, a.5. Ita solus actus ad quem ordinatur appetitus naturalis rationem dat ejus inclinationis, hoc est suum bonum, perfectio ejus et nulla alia, etsi major, hanc rationem tribuere potest. Similiter solum bonum apprehensum potest movere appetitum elicivum: solum bonum sensibiliter apprehensum movere potest appetitum sensilem, solum bonum intellectualiter apprehensum, appetitum intellectuale seu voluntatem. Et amplius non omne cognitum conveniens alicui appetitui est bonum alterius, et diverso modo pro appetitu sensili et intellectuali.

"C'est que la connaissance ne pourrait entraîner en tout cas le sujet vers l'objet que si le premier abdiquait au profit du second, et si la connaissance au lieu d'être une synthèse, était une substitution d'être à être. ~~Le~~ L'objet devenu moi tend en moi; mais puisqu'il tend par moi, il doit tendre aussi selon moi; s'il veut s'achever, ainsi que nous le disions c'est pour m'achever, moi qui ai fait de sa forme la mienne." Bertillanges, "Saint Thomas d'Aquin I, l.6, ch.1, p.196. Per quod bonum cognitum moveantur appetitus elicivi sensitivus et intellectualis praecclare exprimit S. Thomas in De Ver. q.25, a.1: "appetitus (autem) sensitivus non habet necessitatem in rem aliquam, antequam apprehendatur sub ratione delectabilis vel utilis; sed apprehenso quod est delectabile de necessitate fertur in illud (cum cognoscit rem ut sibi convenientem): non enim potest brutum animal inspiciens delectabile, non appetere illud. Sed voluntas habet necessitatem respectu ipsius bonitatis et utilitatis: de necessitate enim vult homo bonum, sed non habet necessitatem respectu hujus vel illius rei quantumcumque apprehendatur ut bonum vel utilis: quod ideo est quia unaquaeque potentia habet quandam necessariam habitudinem ad suum proprium objectum. Unde datur intelligi, quod objectum appetitus naturalis est haec res in quantum talis res; appetitus vero sensibilis haec res in quantum est conveniens et delectabilis; sicut aqua, in quantum est

conveniens gustui, et non inquantum aqua: objectum vero primum voluntatis est ipsum bonum absolute. Ratio hujus ultimi est quia voluntas sequitur intellectum apprehendens universale unde voluntatis objectum formale est ipsa ratio boni et tunc quando non est in aliqua re aut non ut sic cognoscitur libera remanet, secus necessitatur sicut appetitus sensitivus coram rem ut convenientem sibi cognitam. Addendum est denique quod bonum movens suppositum ad agendum per modum termini allicientis non est bonum utile, illud enim ut sic est bonitas mediis non termini i.e. solam bonitatem ut sic habet quia ad bonum in se ducit.

2<sup>o</sup> Prima pars minoris probatur indirecto:

A- malum qua malum nequit movere suppositum ad actionem eliciendam per modum termini allicientis.

Dicitur malum qua malum, quia omnes concedunt malum sub ratione boni seu bonum apparens hoc modo movere posse. Quaestio sic statuta, de voluntate libera est praesertim. Assertio nostra auctoritate Sancti Thomas confirmatur in textu citato (I Eth. lect.1) in principio hujus partis minoris probationis et faciliter probatur. Omne suppositum agit per appetitum, ut statutum est, sed malum ut sic nequit appetitum movere per modum termini allicientis, appetitus enim ex natura sua est inclinatio ad conveniens sui sed malum qua malum seu sub ratione mali est praecise inconveniens appetitui, malum enim ut sic est carentia, appetitus autem est ad actum seu perfectionem. Ergo appetere malum ut sic est contrarietorium. "Nullus intendens malum operatur, dira toujours Saint-Thomas avec le Pseudo Denys. Vouloir le mal, ce serait, au vrai, ne pas vouloir, puisque le vouloir est par définition la recherche d'un bien, étant la manifestation d'un appétit du bien réalisé en nature. On pourrait dire: La volonté ne veut pas le bien parcequ'elle veut; elle veut le bien parce qu'elle est: Vouloir le bien, pour elle c'est être." (Sert. ibid. p.207). Hoc omnino

verum est dum bonum seu ratio boni sit objectum formale primarium voluntatis, ad illud ergo, ratione essentiae suae specificae ordinatur. Hoc igitur videtur clarum ac probatum, unum tantum remanet: ostendere quod argumenta adversariorum non probant, et quod in omnibus exemplis allatis, voluntas in aliquo bono fertur ac ab illo movetur. (1)

**B- Solvuntur argumenta praecipua adversariorum.**

Prima difficultas ex Summa Th. I-II, q.8, a.1, desumitur:

"Videtur quod voluntas non tantum sit boni. Eadem enim est potentia oppositorum, sicut visus est albi et nigri. Sed bonum et malum sunt opposita. Ergo voluntas non solum est boni, sed etiam mali."

Respondendum est quod eadem facultas circa opposita ut sic non potest eodem modo se habere. Visus cognoscens nigrum non se habet sicut cum cognoscit album sicut organum ipsum potentiae visivae. Ita etiam voluntas se habet circa bonum et malum aliquomodo enim est amborum, minime tamen eodem modo, dum voluntas sit aliquis appetitus ex natura sua inclinatur in bonum ut ad suam perfectionem illud quaerendo quando deest, illoque fruendo dum possidetur, ad inconveniens autem sibi, quia imperfectio sua et carentia, aliter sese habet: illud fugit, quia ex ipsa inclinatione ad conveniens sibi, oportet appetitum quod fugiat inconveniens. Itaque Serpillanges secundum suum originalem modum loquendi, dixit: "la fuite, ... est bien aussi une espèce de désir."

Sed urgetur quod "potentiae rationales se habent ad opposita prosequenda." Jamvero voluntas voluntas sequitur cognitionem rationalem, et consequenter est potentia rationalis. Ergo se habere potest ad opposita prosequenda. Aliis verbis, voluntas quis appetitus sequens cognitionem intellectuales et universalem libertate gaudet inter opposita ita quod possit unum aut aliud velle. Et hoc suadet per exemplum. Bene potest dici aliquis "liber sum, ergo volo malum ut malum."

(1). Non est necessarium, ad statuendum (indirecte) quod solum bonum possit movere appetitum, probare quod indifferens nequit illum movere, sicut late facit Suarez (l.c. sect.V). Nam non est proprie indifferens. Aliquid convenit aut non convenit appetitui, et tunc est bonum aut malum.

Ad rationem respondendum est quod facultas libera potest se habere ad opposita prosequenda quando haec opposita in ambitu objecti formalis continentur. "Nam nulla potentia prosequitur nisi conveniens objectum. "Objectum autem formale voluntatis est ratio boni. Ergo voluntas libera circa res in quibus est haec ratio boni etiamsi haec res sunt contrariae sicut ambulare et quiescere, manducare et jejunare, circa (vero ipsam ratio boni non est libera); non potest eligere inter rationem boni et mali ipsa sua natura huic electioni resistit. Sicut v.g. salvatis servandis, visus potest videre rubeam colorem aut viridem, quia haec sunt intra ambitum objecti sui scilicet: visibile, non potest tamen audire vel odorare, Surrex eodem modo sub alia forma hoc probat dicendo quod voluntas appetitu elicito nihil velle potest quod non sit consentaneum naturali inclinationi voluntatis, "quia ex tali inclinatione nascitur omnis appetitio elicita, ... si ergo voluntas posset moveri per proprium actum in malum ut malum, naturalis inclinatio ejus esset ad malum ut malum, esset ergo ipsa naturalis inclinatio inordinata. Hoc autem repugnat, tum quia ob optimo auctore sapientissime instituta, tum etiam quia esset sibiipsi repugnans. Nam voluntatis finis et institutio est, ut per eam homo quaerat convenientia sibi, et fugiat disconvenientia; si ergo accepisset inclinationem ad tendendum in disconveniens, quatenus disconveniens est, formaliter, et directe sibiipsi, et suo fini repugnaret." -In exemplo allato, patet quod tali modo volens aliquod bonum intendit scilicet usum libertatis quod est illi conveniens. Nunc ad Scotum in II Sent., dist.43, q.2. Sequitur ipse textus:

Utrum voluntas possit peccare ex malitia, volendo aliquid non ostensum sibi sub ratione boni veri id est, boni simpliciter, vel boni apparentis et secundum quid?

Dicitur quod non secundum Dionisii 4 De Div. nom. "nullus operatur ad malum aspiciens." - Sed contra hoc, quia tunc voluntas creata non posset tendere in objectum sub aliqua ratione

sub qua non posset tendere voluntas divina; voluntas enim divina potest, in omne bonum substratum illi deformitati, licet non in illam rationem malitiae concomitantem. Et si concedatur quod omne volibile ab una voluntate sit volibile ab alia, quia omnis voluntas habet objectum neque commune, non tamen illud quod est ordinate volitum ab una voluntate, est ordinate volitum ab alia, quia ordinatum velle non est ex solo objecto, sed ex convenientia actus et objecti circa illam potentiam; potest enim convenire uni voluntati aliquis actus circa aliquod objectum, qui non convenit alteri.

Aliter arguitur contra illam opinionem, quia apprehendatur odium Dei ab aliqua potentia intellectiva creata non errante, nec per consequens ostendente illud sub ratione boni, sed tantum mali, si voluntas potest illud velle, patet propositum quia nulla est bonitas in isto actu prior ipso actu volendi; si enim assignatur aliqua bonitas, propter actum volendi, hoc non est in objecto; ut praecedit actum, sed est in ipso ut sequitur actum volendi. Si autem non potest in illud malum ostensum, nisi sub aliqua ratione boni et non mali, ergo vel simpliciter non potest in illud, vel oportet rationem esse excaecatam prius naturaliter, quod videtur inconveniens, et, contra illud VII Ethic., c. 3 et 5. Stante ratione universali et particulari, etc."

Postea distinguit peccatum ex impotentia, peccatum ex ignorantia et peccatum ex malitia, et addit: "Si tamen non ponatur voluntas creata posse velle malum sub ratione mali, adhuc potest assignari peccatum ex certa malitia quando voluntas ex libertate sua absque passione in appetitu sensitivo et errore in ratione, peccat, ibi enim est plenissima ratio peccati, quia nihil aliud est a voluntate alliciens eam ad malum, sed ex pura libertate sua sine alia occasione extrinseca, eligit sibi malum velle, non tamen ex malitia, ita quod voluntas sic peccans tendat in malum in quantum malum."

Quae sit mens Scoti in hoc textu breviter statuere conamur, postea argumenta ejus repellimus. Et primo quid firmiter tenet et quid remisse seu

potius dubie. Firmiter tenet<sup>r</sup> peccatum ex certa malitia invenire posse. Hoc ultro conceditur illi, quia non repugnat depravatae libertati, illum actum ponere. Punctum vero controversum scilicet quod voluntas possit velle malum sub ratione mali non tam firmiter affirmat. Etsi enim argumentum ponit, et dat exemplum ad hoc probandum, nihilominus addit: "Si tamen non ponatur voluntas creata posse velle malum sub ratione mali"... etc, ubi clare apparet quod hoc non firmiter tenet. Nunc ad rationes et exemplum.

Primo proponit argumentum per absurdum, in illud in forma: Si voluntas creata non potest velle malum sub ratione mali, non potest tendere in objectum sub alia ratione quam voluntas divina.

Atqui hoc est inconveniens.

Ergo voluntas creata potest velle malum sub ratione mali.

Major patet, nam Deus seu voluntas divina tendere "potest, in omne bonum substratum illi deformitati, licet non in illam rationem malitiae concomitantem". Si igitur voluntas creata non potest tendere in malum sub ratione mali non potest in objectum sub aliqua alia ratione quam Deus.

Minor probatur. Nam etsi concedatur quod omne volibile ab aliqua voluntate sit volibile ab alia (objectum enim earum aeque commune est) non tamen conceditur quod omne volitum ab aliqua voluntate sit ordinate volitum ab alia ordinatum enim "vel non est ex solo objecto sed ex convenientia actus et objecti circa illam potentiam; potest enim convenire uni voluntati aliqua actus circa aliquod objectum, qui non convenit alteri". Atqui si affirmatur quod non potest una voluntas sub alia ratione quam altera tendere in objectum, dum objectum sit aeque commune, sequitur quod omne volitum ordinate ab aliqua voluntate sit ordinate volitum ab alia. Ergo inconveniens est voluntatem creatam non posse in objectum tendere sub alia ratione quam voluntas divina.

Ad hoc, respondendum est quod aliquid utique quod est volibile ab una voluntate potest non esse volibile ab alia. Sed ex hoc non sequitur quod omne volibile ab una voluntate possit esse non volibile<sup>ab</sup> alia. Etenim sunt

aliqua essentialia voluntati ut sic tum ex parte objecti, si est objectum formale commune voluntatis, tum ex parte rationis sub qua objectum volitur, si haec ratio necessario connexa est cum ipso objecto. Et tunc non tantum est objectum aequae commune omni voluntati, sed etiam est ratio "sub qua", omnem voluntatem illud velle necesse est ita quod velle sub alia sit impossibile. Quod semper accidit <sup>quando</sup> cum alia ratio sub qua, contraria est ipsi naturae voluntatis et hoc est casus pro ratione mali. Velle malum ut sic, sicut supra probatum est, absurdum est et contrarium naturae appetitus. Tunc conceditur "quod sicut divina voluntas non potest velle malitiam sub ratione malitiae, ita quod in ipso objecto voluto nulla appareat ratio bonitatis. ita nec voluntas humana" (Capreolus II Sent., dist. 34, q. 1 art. 3, II.)

Quomodo voluntas creata possit peccare si hoc verum est, clare apparet si distinguitur ordo moralis ab ordine physico. In Deo sunt idem, quia est sua regula moralitatis et tunc eo ipso quod aliquid vult, illud sub ratione convenientis sibi seu boni et impossibile est quod peccat. Creatura vero non est sua regula moralitatis et tunc appetendo aliquid ut convenientis sibi, bene etiam peccare potest, si in hoc convenienti sibi, non tendit secundum regulam moralitatis.

Pro exemplo odii Dei "ab aliqua potentia intellectiva, creata non errante" etsi de possibilitate realisationis ejus non discutitur attamen dicitur quod etiam in his circumstantiis objectum ipsum etsi in re pessimum, potest apprehendi sub aliqua ratione boni seu convenientis isti voluntati, inquantum hoc objectum fert occasionem voluntati sua libertate uti; scilicet actus libertatis est bonus et illud objectum pessimum ut tribuens occasionem talem actum ponendi, apprehenditur et consequenter ut convenientis.

Cum autem dicit: "Si autem non potest (voluntas) in illud malum ostensum, nisi sub aliqua ratio<sup>ne</sup> boni et non mali, ergo vel simpliciter non potest in illud, vel oportet rationem esse excaecatam..." respondeo dicendum

quod simpliciter non potest in illud tendere, quia simpliciter oppositum naturae cujuscumque appetitus, sicut ostensum est.

Patet ergo quod malum ut malum non possit movere agens per modum termini allicientis. Ergo stat prima pars minoris, scilicet solum bonum formaliter potest movere agens, ad actionem eliciendam, per modum termini allicientis. Nunc ad secundam partem.

Secunda pars: solum bonum formaliter PROUT EST IN SE potest impellere agens ad actionem eliciendam per modum termini allicientis.

Praenota: prima pars minoris est velut fundamentum aliarum duarum. Itaque ad probandum quod constitutivum formale causae finalis in actu secundo sit bonum formaliter movens amore passivo, et constitutivum formale in actu primo sit bonum formaliter prout est in se, sufficit probare quod bonum in actu primo causalitatis sit bonum prout est in se, et in actu secundo, sit bonum movens amore passivo. Hic agitur de causalitate in actu primo. Quaestio quae in praesenti parte discutitur, sic ponitur. Sicut non omne bonum omnem appetitum movere potest, ut dictum est, ita insuper bonum eo ipso quod convenit alicui appetitui non habet quidquid requiritur appetitum movendum. Evidens est enim quod bonum applicari debeat appetitui, ad causalitatem suam exercendam; sed hoc fit per cognitionem. quaeritur ergo utrum cognitio seu esse cognitum sit de constitutivo formali causae finalis in actu primo an solummodo conditio. Ut patet haec quaestio non respicit agentis per appetitum naturalem tantum. Evidens est hujusmodi appetitum tendere in re prout est in se. Et amplius cum appetitio ejus non distinguatur ab ipso appetitu non est quaerendum de actu primo causalitatis finis circa illum. Ergo solummodo agitur de suppositis quae appetitu elicitivo moventur ad actionem eliciendam.

...” voluntas inclinatur ad ipsam rem prout in se est. Et ideo Philosophus dicit, quod bonum et malum quae sunt objecta voluntatis sunt in rebus; verum autem et falsum, quae sunt objecta intellectus, sunt in mente.”

(I p. q.82, a. 3.)

1<sup>o</sup> Secunda pars minoris probatur directe:

Movere agens per modum termini allicientis bono competit in illo statu in quo formaliter est appetibile.

Atqui bonum est formaliter appetibile prout est in se seu in suo esse reali.

Ergo movere per modum termini allicientis competit bono formaliter prout est in se seu in suo esse reali.

Major, patet ex parte praecedenti. Prima pars minoris scil. soli bono competit movere agens per modum termini allicientis explicite probata est. Altera pars formaliter implicite: solum bonum potest movere agens per modum termini allicientis quia solum bonum est appetibile, agens enim per appetitum agendo sive mediate sive immediate, solum appetibile potest illud movere ad agendum, dum solum appetibile possit appetitum movere. Evidenter ergo sequitur, quod si bonum in duplici statu esse potest scil. in esse cognito et in esse reali, in hoc statu formaliter movebit in quo formaliter appetibile erit.

Minor probatur:  
Sed antea notandum est quod res tripliciter considerari potest: in esse reali, in esse cognito, prout a quocumque statu existendi abstrahit. Bonum autem ut sic i.e. ut appetibile dupliciter tantum sumi potest, scilicet in suo esse reali et in suo esse cognito, intentionali. Res enim prout a quocumque esse abstrahit vera esse potest (veritate ontologica) non tamen bona, quia ut sic nequit convenire appetenti, conveniens enim appetenti non est nisi illi simile, ut probatum est p. 36, appetens autem est existens, unde aliquid nequit illi convenire nisi aliquomodo existat. Et ideo bonum prout est in se sumitur hic, prout in suo esse reali per oppositionem cum suo esse intentionali.

Sed ad omnem aequivocationem tollendam notandum est bonum in suo esse reali in triplici sensu sumi potest: 1<sup>o</sup> ad significandum bonum verum, quo opponitur bono falso seu apparenti. 2<sup>o</sup> ad significandum bonum prout a causalitate efficiendi pendet, sic est synonymum cum esse in executione, esse realitate. 3<sup>o</sup> ut jam dictum/ est, per oppositionem cum bono in suo esse intentionali. Bonum reale in hoc sensu potest esse aut actualiter existens aut possibiliter i.e. ut futurum.

Hic bonum prout est in se seu in suo esse reali non significat in suo esse in executione, ut patet, ita enim est effectus, neque sumitur ut synonymum bonitatis realis per oppositionem cum bonitate falsa et scilicet modo apparenti. Nam omnes concedunt quod bonum apparens possit movere agens per modum termini alligantis, sed intelligendum est bonum in suo esse reali seu prout est in se per oppositionem cum esse cognitio seu intentionali, et hoc prout abstrahit ab actualitate i.e. aive sit actuale sive possibile aut potius futurum. Denique esse reale intelligendum est de unquamque re secundum suam propriam conditionem. Ita cum accidit ipsam cognitionem appeti; tunc rememiscendum est ipsam habere suum proprium esse reale, secundum quod appetitur. His dictis, ad probationem.

Aliquid est appetibile in quantum est perfectibile, dum appetitus sit inclinatio ad perfectionem. Sed aliquid est perfectibile prout est in se seu secundum suum esse reale, ~~nam~~ aliquid est perfectibile in quantum est perfectum (perficere non potest quod non est perfectum, impossibile est dare quod non habetur). Sed aliquid est perfectum in quantum est actu, actus idem est ac perfectio, et potentiae opponitur quae est imperfectio, in quantum autem aliquid est actu in quantum est realiter non in quantum cognoscitur. Ergo in quantum aliquid est appetibile in quantum habet esse reale. Hoc ita verum est quod quo magis aliquid est actu eo magis est appetibile, et sic habetur propositio: esse secundum quid est bonum simpliciter et esse simpliciter est

bonum secundum quid. Sic Sanctus Thomas illum explicat... " cum ens dicat aliquid proprie esse in actu, actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam, secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod primo discernitur ab eo quod est potentia tantum. Hoc autem est esse substantiale rei uniuscujusque. Unde per suum esse substantiale dicitur unumquodque ens simpliciter; per actus autem superadditos dicitur aliquid esse secundum quid; sicut esse album significat esse secundum quid; non enim esse album aufert esse in potentia simpliciter; cum adveniat rei jam praeexistenti in actu." (I, q.5, a.1 ad 1)

Sensus igitur propositionis est: unumquodque ens creatum est bonum secundum quid per suum esse substantiale -Deus autem quia est suum esse est sua ultima perfectio- et bonum simpliciter per sua accidentia. Si nunc attente legitur ratio illius affirmationis, quae a Sancto Doctore datur, apparet quod unumquodque ens creatum est <sup>bo</sup>num simpliciter per sua accidentia, quia per ista magis perficitur in esse et tunc patet quod in quantum aliquid est intentum est appetibile." Sed bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile; et per consequens dicit rationem ultimi. Unde id quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter. Quod autem non habet ultimam perfectionem quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem, in quantum est actu; non tamen dicitur perfectum simpliciter, sed secundum quid. Sic ergo secundum primum esse, quod est substantiale, dicitur aliquid ens simpliciter et bonum secundum quid; id est in quantum est ens. Secundum vero ultimum actum (accidens) dicitur aliquid ens secundum quid et bonum simpliciter." Unde unumquodque ens creatum per suum esse substantiale est bonum secundum quid, quia etsi per illud substantialiter est, non tamen per illud ipsum in sua ultima perfectione constituitur et est; per sua autem accidentia, quamvis sint entia secundum quid, et potius entia entia, constituitur et est bonum simpliciter, quia per ista, suam ultimam perfectionem habet seu ultimo in esse perficitur. Si igitur gradus appetibilitatis per se ex gradu perfectionis in esse desumitur, ita quod ultime perfectum in esse simpliciter si appetibile, non ultime

vero perfectum in eodem esse, (etsi substantialiter) secundum quid tantum sit appetibile, recte deducitur quod aliquid est appetibile inquantum est et consequenter quod bonum formaliter est appetibile prout est in se non prout cognoscitur.

Sic confirmari potest haec probatio:

Bonum secundum illud esse formaliter movet agens, quod habens satiat agentis appetitum quando possidetur. Sed bonum agentis appetitum satiat quando in suo esse reali possidetur. Ergo bonum agens movet formaliter secundum suum esse reale.

Major est evidens. Agens enim actionem non elicit nisi ad bonum attingendum, sed ad actionem movetur ab illo bono per modum termini allicientis. Secundum hoc esse ergo a bono movetur secundum quod illud desiderat. Hoc etiam apparet si consideratur quod possessio boni movens agens per modum termini allicientis, ultima est in executione, quod autem ultimum est in executione, primum est in intentione; secundum hoc esse ergo intenditur bonum secundum quod possidetur. (Suarez).

Minor multipliciter probari potest, multisque exemplis ab auctoribus stabilitur. Et primo est ratio quod esse in intentione non satiat appetitum agentis, quia jam hoc modo habens gratia boni operatur. Satiat ergo bonum agentis appetitum secundum suum esse reale. Hoc adeo verum quod si per accidens bonum desideratum non attingitur in re agens censetur frustra labori se datum esse. Insuper experientia clare nos docet quod bonum cuius gratia operamur in suo esse reali desideramus. Quod terminando dubius exemplis ostendimus. "Mode constat quod ratio quod sanitas appetatur, est esse non in anima (nam non appetit infirmus sanitatem in anima), sed in rerum natura. Ergo esse sanitatis in rerum est ratio finalizandi." (Cajetanus) "Non ... apprehensio divitiarum excitat avarum, sed bonitas realis, quae rebus et in objecto apprehenso; nec avarus intendit bonitatem divitiarum praecise ut apprehensam; sed ut realiter

habendam, nec gratia illius apprehensionis laborat, sed gratia realis possessionis; nec quiescit ejus desiderium in divitiis apprehensis, sed realiter possessis; ergo ipsa realitas bonitatis et non apprehensio, est ratio finalizandi."(Goudin). Haec exempla explicationibus non egent, et clare apparet bonum prout est in se movere agens per modum termini allicientis. Neque controversio videtur possibilis, nisi sit equivocatio. Ad illam tollendam, munus apprehensionis in motione per modum termini allicientis nunc ostendemus atque argumentis a parte adversa allatis solutionem dabimus.

2<sup>o</sup> Secunda pars minoris probatur indirecte:

A- Cognitio est conditio sine qua non ut bonum moveat agens per modum termini allicientis.

Quod ab aliquo movente necessario requiritur, nec tamen est de ratione formali illius, est conditio sine qua non ut illud moveat.

Atqui cognitio necessario requiritur a bono movente agens per modum termini allicientis nec tamen de illius ratione formali est.

Ergo cognitio est conditio sine qua non ut bonum agens moveat per modum termini allicientis.

Major. In omni causa et movente, duo distinguenda sunt: id quo formaliter movet seu causat, et conditio sine qua non potest movere seu causare. Ita id quo formaliter equi currum tractant, est eorum vis locomotiva, at tamen currum tractare nequeunt si ad illum non junguntur; Tunc patet major: quod necessario requiritur, non tamen est de constitutivo seu ratione formali, est conditio sine qua non.

Minor per partes probatur: cognitionem necessario requirit bonum movens agens per modum termini allicientis; cognitio non est de constitutivo seu de ratione formali boni moventis per modum termini allicientis.

1- Cognitio necessario requiritur a bono movente agens per modum termini allicientis.

Quaestio haec est connexa cum quaestione de necessitate cognitionis ut aliquid appetatur: utrum appetitus elicitivus tendere potest in objectum incognitum. Si ergo probatur appetitum elicitivum non posse in incognitum tendere, recte deduci potest quod cognitio necessario requiritur a movente per modum termini allicientis, quia Hujusmodi movens in appetitu per se primo influit. (1) Est autem sententiae communiter recepta quod voluntas, et generalius omnis appetitus elicitivus non potest tendere in objectum incognitum, juxta illud axioma: nihil volitum nisi praecognitum. Attamen res attentius, etsi breviter, considerabitur, pro ea parte qua nunc interest.

Cognitio hic potius sumitur pro esse cognito, esse in intentione. Sicut in probatione majoris totius thesisi dictum est, movens per modum termini allicientis sub duplici ratione considerandum est; in illo enim distinguuntur ratio objecti, et ratio illius modi movendi. Insuper in ipsa ratione objecti appetitus distingui potest quod communis habet omni objecto potentiae, et quod est illi particulare. Probabitur quod esse cognitum necessario requiritur per modum applicationis a bono movente per modum termini allicientis, ex hac parte qua habet rationem communem objecti potentiae, et quod etiam requiritur per modum existentiae ex illa parte qua habet rationem talis objecti scilicet appetitus elicitivi.

(1). Notat Suarez (loc. cit. sect. VII) has quaestiones connexas esse, attamen distinctas. ... "nam, licet voluntas ferretur in incognitum, non propterea causa finalis causaret non cognita, sed potius dicendum tunc esse, voluntas elicere actum suum sine propria causalitate finis circa ipsam, quia tunc revera moveretur voluntas non tracta, neque mota ob objecto, sed ex sola sua efficacia tendens in objectum. Atque ita praesens quaestio non omnino pendet ab illa alia, quamvis e converso si voluntas non potest ferri in incognitum, recte inferratur nec finem posse causare, nisi sit praecognitum."

Omnia causa creata necessario requirit contactum cum illo in quo causalitatem suam exercere debet, et tunc applicationem exigit. Ita, v.g. ut agens agat aliquid in aliquo subjecto, approximationem exigit, quae in ordine materiali fit per motum localem, et ipse quoque motus localis contactum praesupponit inter motorem et rem motam. Objectum potentiae per hanc legem etiam necessitatur; itaque applicari debet potentiae ad quam ordinatur, et in qua influere debet. Hoc diversimodo fit secundum diversas potentias. In intellectu humano v.g. hoc fit per speciem impressam intelligibilem. Haec autem approximatio et applicatio boni ad appetitum elicitive per cognitionem efficitur; est enim hic appetitus, ex natura sua, potentia elicitive inclinationum ad res convenientes, quae inclinationes formas cognitione acquisite sequuntur. Sed, ut ex his dictis patet, applicatio haec etsi speciali modo efficitur in appetitu, communiter autem requiritur ab omni objecto potentiae, immo ab omni causa. Attamen cognitio quae tali munere applicantis fungitur erga objectum appetitus, aliud specialius adimplet erga objectum ejusdem potentiae ut sic. De altero tantum usque nunc locuti sumus, quia est magis evidens, et quia non necesse erat omnia simul dicere, ad illud nunc.

Cognitio considerata est velut praerequisitum extrinsecum influentiae objecti in appetitu, nunc consideratur ut requisitum quasi-intrinsecum illius influentiae. Ad hoc intelligendum, habitudines inter appetitum et objectum ejus sub duplici aspectu videmus: ex parte appetitus, quomodo sese habeat erga suum objectum; ex parte objecti, quae sit ejus influentia in appetitu, ostendendo quod ex utraque parte cognitio requiratur per modum existentiae i.e. ut dans esse intentionali objecto. Ut patet, haec sunt tantummodo diversi aspectu ejusdem quaestionis ita ut primus sit effectus secundi. Appetitiones sunt inclinationes elicite a potentia et sequentes formas convenientes, nam quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio, et modus inclinationis variatur secundum naturam formae. Sed forma quam inclinatio sequitur re-

quirit existentiam aliquam. Ita forma naturalis quam sequitur appetitus innatus, habet existentiam realem, et inclinatio non est sine existentia formae. Forma vero quam sequitur inclinatio appetitus elicitivi habet existentiam intentionalem, et tunc a pari sicut inclinatio naturalis non sequitur formalem realiter non existentem, ita inclinatio quae est actus secundus appetitus elicitivi, non sequitur formam intentionaliter non existentem. Hoc clarius apparet si consideratur ratio determinans appetitionis; quod explicatur per influentiam objecti in appetitum. Modo omnino speciali hoc efficitur. Communiter recipitur quod objectum appetitus illum movet metaphorice i.e. trahendo, alliciendo. Ergo influit realiter etsi metaphorice movet, et hoc adeo verum est quod appetitus nequit vitalem appetitionem habere sine attractione, allicientia appetibili, ut experientia patet. Evidens est autem nihil influere posse realiter nisi aliquomodo sit, quia vero appetibile quando hoc modo movet appetitum non necessario postulat existentiam realem, et cum sunt tantummodo duo modi essendi: realiter et intentionaliter, sequitur quod appetibile seu objectum appetitus necessario requirat existentiam intentionalem ut alliciat appetitum. Hoc requiritur ab objecto appetitus ut sic, et consequenter omne objectum appetitus intentionaliter existere debet ut metaphorice moveat. Ergo tum medium tum terminus (finis) movent per modum allicientis, et consequenter requirunt existentiam intentionalem. Notandum est tamen medium tali modo non movere nisi ratione termini (finis), objectum enim appetitus illum movet in quantum bonum est, medium autem est tantummodo modo utile, et tunc non movet appetitum nisi ratione bonitatis termini, et quasi-instrumentaliter, virtute termini (finis) qui est bonus in se.

Cognitio igitur necessario requiritur a bono movente agens per modum termini allicientis tum per modum applicationis tum per modum existentiae i.e. quia applicat illum ad appetitum agentis, et quia dat illi objecto existentiam qua redditur aptum ad metaphorice movendum appetitum.

2- Cognitio non est de constitutivo formali boni moventis agens per modum termini allicientis.

Prima ratio fundatur supra distinctionem ordinis cognoscibilitatis ab ordine appetibilitatis, et supra habitudinem inter principium et actum primum causandi.

Ratio formalis seu constitutum formale causalitatis alicujus causae in actu primo nequit alius ordinis esse quam ejus principium, quia actus primus est evolutio principii causandi, et via ad causalitatem in actu secundo quae a principio causandi provenit ut ejus emissio.

Principium autem proprium movendi per modum termini allicientis est bonum, quod est in linea et ordine appetibilitatis, ut ex prima parte minoris patet.

Ergo ratio formalis movendi per modum termini allicientis in actu primo, non potest esse in cognitione. Consequentia legitima est quia appetibile est in linea et ordine distincta a linea et ordine cognitionis, sicut potentiae cognoscitivae, et appetitivae diversae ordine et genere. Etenim "apprehensio pertinet ad rationem manifestativi et cognoscibilis; appetibile vero ad rationem boni realis, et convenientis appetenti; unde illa apprehensio non addit aliquid in genere, et linea appetibilis, sed supponit illam, et solum manifestat." (J. A. S. Th.)

Secunda ratio a fere omnibus auctoribus traditur, et fundatur supra notionem rationis seu constitutivi formalis. Sic enuntiari potest.

Ratio formalis seu constitutum formale alicujus rei est id quo res ab aliis rebus distinguitur.

Sed cognitio seu esse cognitum non est id quo bonum movens agens per modum termini allicientis ab aliis bonis distinguitur.

Ergo cognitio seu esse cognitum est de constitutivo formali boni moventis per modum termini allicientis.

Major: constitutum formale alicujus rei est id quo res est id quod est, et consequenter id quo ab aliis distinguitur.

Minor patet ex praecedentibus dictis de munere cognitionis erga objectum appetitus elicitive. Omne enim objectum talis appetitus sive sit terminus movens agens sive non, necessario requirit cognitionem seu esse cognitum.

Ergo patet conclusio: cognitio est conditio sine qua non ut bonum moveat agens per modum termini allicientis.

Et confirmatur ex paritate cum causa efficiente. Causa efficiens requirit applicationem ad passum, et existentiam ut causalitatem suam exercent; sed neque applicatio neque existentia est de constitutivo formali causae efficientis, ita bonum movens per modum termini allicientis requirit applicari ad appetitum, et existere intentionaliter quae ambo per cognitionem fiunt. Sicut autem applicatio et existentia non est de ratione efficientis, ita neque applicatio neque existentia est ratione moventis per modum termini allicientis. Ergo neque cognitio per quam fiunt. - Notandum est quod cognitio ita requiritur a bono movente per modum termini allicientis ut suppleri non possit. Joannes a S. Thoma bene hoc exprimit: cognitio est absolute insupplebilis, "quia apprehensio non est conditio extrinseca importans solam applicationem ipsi passivo, vel alicui extrinseco, talis enim conditio suppleri potest a Deo, quia extrinseca est, sed apprehensio dicitur conditio intrinseca, quia non est (tantum) conditio conjungens alicui extrinseco, sed ut praebens ipsi appetibili esse intentionale, et objectivum, ut metaphorice moveat; unde sic requiritur apprehensio in fine quae dat existentiam intentionalem, sicut existentia realis in efficiente, quae est conditio insupplebilis a Deo, neque enim potest operari res non existens sicut nec finalizare res non apprehensa."

#### B- Solvuntur argumenta:

Contra hanc conclusionem sic arguitur: aliqua res eadem objective diversos appetitus motus, etiam contrarios, causare potest, et de facto

causat, inquantum per cognitionem ut praesens aut absens vel ut conveniens aut disconveniens repraesentatur. Sed hoc nequit explicari si cognitio non est ratio formalis boni moventis agens per modum termini allicientis. Ergo cognitio non est tantummodo conditio sed ratio formalis talis moventis.

Respondetur concedendo majorem, negando autem minorem et consequens. Nam bene hoc explicatur ponendo cognitionem ut conditio sine qua non. Quia enim cognitio applicat objectum ad appetitum, tribuens illi simul esse intentionale ut moveat, potest causare diversos motus appetitus, et etiam contrarios circa idem objectum materialiter sumptum, non vero circa idem formaliter. Etenim jam diximus quod non omne bonum omnem appetitum movere potest sed illud quod convenit hic et nunc tali appetitui. Ergo objectum non debet considerari secundum aliquam absolutam bonitatem, sed sub respectu convenientiae. Res autem applicatur ad appetitum ut praesens vel aut absens, ut conveniens disconveniens per cognitionem judicativam veram aut falsam. Tunc quamvis videatur cognitio idem objectum applicare ad appetitum, formaliter tamen diversa, et etiam contraria applicat, unde diversi motus appetitus oriuntur. Si v.g. aliquid revera conveniens alicui naturae hic et nunc applicatur ut disconveniens, nihil gratia illius fiet; si aliquod malum praesentatur, et applicatur appetitui ut praesens, tristitia erit etsi hoc malum est valde remotum. Sed ad hoc faciendum sufficit quod cognitio sit conditio applicans, quae potest diversa objecta applicare, sicut applicans efficiens ad passum, diversos effectus obtinere potest applicando diversa passa aut idem diversi modo nec tamen est de ratione formali efficientis.

Sed aliud objicitur. Si cognitio non esset ratio formalis movendi per modum termini allicientis sed bonitas realis, entia rationis chimerae nequirent hoc modo movere, ista enim non habent nisi esse objective et intentionale. Nemo autem negare audebit quod de facto movent per modum termini allicientis. Testes sint hujus affirmationis nonnulli hodierni chimistae qui

conantur vitam obtinere organisando inanimatam materiam in officinis suis; similiter bolchewistae qui omnem miseriam in terra auferre sperant, constitutione status internationalis proletariatus. Ergo sine dubio admittendum est quod cognitio sit de constitutivo formali boni moventis per modum termini allicientis, et non tantummodo conditio.

Præterea, ut ex hoc argumento sequitur, agens moveri potest ad actionem suam per modum termini allicientis sine bonitate reali, numquam autem sine cognitione, ut satis præbatur est. Atqui est—ne possibile aliquam motionem habere sine ratione formali movendi? Ergo clare apparet bonum in suo esse reali non esse rationem formalem movendi per modum termini allicientis sed in suo esse cognitæ quod necessario requiritur.

Plane hic æquivocatio apparere videtur, Tunc ope prædictorum illam clare solvere oportet. Conceditur entia rationis et chimeræ, (quæ reducuntur ad ens rationis quæ est negatio) movere posse per modum termini allicientis; negatur tamen consequens et consequentiam. Hoc enim explicare potest tenendo cognitionem esse tantummodo conditionem per modum applicationis et existentia. Ens rationis efficitur quando aliquid quod non est necque esse potest concipitur ut ens, ad modum entis. Tunc attribuitur alicui existentia quam habere non potest realiter, et quod de facto tantum objective in intellectu habet. Habemus ergo omnia requisita ad motionem per modum termini allicientis si hoc ens rationis secundum existentiam quæ ei tribuitur (quam tamen habere nequit nisi objective in intellectu) convenit agenti ita ut sit id cuius gratia operat. Nam huiusmodi ens agenti conveniens, cognitio ad appetitum agentis applicat ut realiter existens vel saltem ut realiter existendi capax. Qui moventur ad agendum per chimeras, putant illas esse reales, et hæc est ratio cur illas appetunt, nemo illas intenderet si ut impossibiles cognoscerentur. Sed ab illis moventur quia cognitio illas repræsentat ut reales,

simul his chimaeris tribuendo existentiam intentionalem, sicut in prima responsione, cognitio rem convenientem ut non convenientem representabat, rem praesentem ut absentem. Sicut in hoc casu res movebat prout applicabatur, ita etiam hic. Uno verbo non negatur bonum movere per modum termini quando habet esse intentionale (cui correspondet formaliter aut fundamentaliter aliqua realitas), quia appetitur quando hoc esse habet, sicut satis probatum est, sed negatur illud movere secundum hoc esse intentionale formaliter, quia non appetitur formaliter secundum hoc esse sed conditionaliter tantum. Tunc nullo modo repugnat entia rationis movere per modum termini allicientis, licet cognitio sit solammodo conditio.

Ad ultimam objectionem respondetur quod quando ratio formalis movendi applicari debet in suo esse physico, motio adesse non potest, illa deficiente. Quando vero applicatur per esse representativum, sese quando habetur applicatio representativa per aliquid vices gerens, nihil prohibet quin moveat sine esse reali, sufficit enim esse representativum. Nequit tamen movere sine hoc esse representativo quia applicat objectum, et est simul esse quod habens movere potest. Sed haec verificatur de bono movente per modum termini allicientis, nam movet "ut (vestitum) intentionali, et objectiva existentia." (J. a S.Th.)

Ergo stat secunda pars minoris bonum formaliter prout est in se movet agens per modum termini allicientis.

Tertia pars minoris: solum bonum formaliter MOVENS ANORE PASSIVO potest impellere agens ad actionem eliciendam per modum termini allicientis.

Praenota: cum jam cognoscantur omnia requisita ad movendum per modum termini allicientis, nunc quaeritur quid sit istud movere et quomodo fiat. Motio haec quae communiter recipitur ut metaphorica et in intentione (licet sit realis influentia et causalitas in agente) in nullo alio ponetur quam in

causalitate boni seu appetibilis in actu secundo. Et tunc sicut prima pars minoris fundamentum fuit secundae, quia ad explicandam motionem per modum termini allicientis in actu primo firmiter perstetimus in linea ejus proprii principii, ita, ab eadem rationem, eadem prima pars fundamentum erit tertiae.

Ideo cum Sancto Thoma dicimus quod:

"sicut influere causae efficientis est agere, ita influere causa finalis est appeti et desiderari." (De Ver. q. 22, a. 2)

1<sup>o</sup> Tertia pars minoris probatur directe:

Hoc per modum termini allicientis impellit agens ad actionem suam eliciendam quod ita se amare facit ut gratia ipsius caetera fiant.

Atqui solum bonum formaliter movens amore passivo ita se amare facit ut gratia ipsius caetera fiant.

Ergo solum bonum formaliter movens amore passivo impellit agens ad suam actionem eliciendam per modum termini allicientis.

Major est ipsa declaratio boni moventis agens per modum termini allicientis, sicut explicata est p. 23. Haec declaratio est per effectum boni moventis per modum termini allicientis, verba: "se amare facit" enuntiant effectum immediatum ejus, "ita ut gratia ipsius caetera fiant" significant effectum mediatum. Etenim bonum hujusmodi movens primo ~~XXX~~ se amare facit, et per hoc obtinet quod quidquid est necessarium ad illud obtinendum, ab ipso amante fiat. Ut patet, "caetera" relative sumitur pro quidquid requiritur ab aliquo bono amato ut obtinentur. "Impellit" utitur loco "potest impellere" ut sine aequivocatione videatur quod nunc agitur de ipso movere per modum termini allicientis in actu secundo.

Probatur minor: quod solum bonum formaliter se amare facit, patet

ex prima parte minoris, et tunc agitur ibi de solo modo per quem sese amare facit ita ut ipsius gratia caetera fiant. Affirmamus hoc esse formaliter per amorem passivum, et sic probatur:

Bonum se amare facit ita ut gratia ipsius caetera fiant per propriam actualitatem.

Sed propria actualitas boni est amor passivus.

Ergo bonum per amorem passivum ita se amare facit ut gratia ipsius caetera fiant.

Majus patet, ita amari soli bono competit, cum igitur sit causa hujusmodi amari, per propriam actualitatem hoc obtinet.

Minoris ratio est quia propria actualitas boni est ipsum appeti. Nam bonum est appetibile, sed propria actualitas appetibilis, sine dubio est ipsum appeti. Tunc actualitas boni est quod ametur i.e. consistit in amore. Sed non est amor prout ab appetitu pendet, quia sic sumptus amor est effectus boni, debet igitur poni in amore prout ab appetibili dependet, qui vocatur amor passivus per oppositionem cum amore prout ab appetitu pendet (amor activus) sine dubio hoc teneri debet. Sed quomodo hoc fiat. In genere explicatur per aliquam immutationem ab appetibili in appetitu, per aliquod pondus appetibilis. Quod diversimode de quocumque agente verificatur, sicut ducente Angelico Doctore (praesertim in 1-2 q.26 et 27), statim videmus. Agens naturale aliquam habet inclinationem seu motum; "principium autem hujusmodi motus est connaturalitas appetentis ad id in quod tendit quae dici potest amor naturalis; sicut ipsa connaturalitas corporis gravis ad locum medium est per gravitatem, et potest dici, amor naturalis". Haec connaturalitas appetentis naturalis non est distincta a sua propria forma, sicut ipse naturalis amor cujus est principium cum ipsa forma, sicut ~~ipse naturalis amor cujus est principium cum ipsa forma~~ realiter identificatur, et tunc datur res m o t e per ipsum divinum naturae Institutorem, quidam talem formam ad determinatam finem ordinatam, p r o x i m e

autem a generante, ut dicit S. Thomas in art. 2 ubi exemplo utens ait: "sicut generans dat corpori gravitatem, et motum ipsam consequentem ipsam; et ipsa gravitas, quae est principium motus ad locum connaturalem, propter connaturalitatem potest quodammodo dici amor naturalis." Connaturalitas igitur haec a gravitate realiter indistinctum quae tamen est ejus ratio, ponitur in natura per Deum, in quantum naturam ordinat ad id quod ei convenit, ad suum bonum; et tunc quia quodammodo i.e. per ordinationem, bonum praehabetur in naturaliter appetente, inclinans illud ad ipsum. Sic habetur immutatio boni in appetitu naturali quam sequitur inclinatio ad rem cibi convenientem, et operatio ab ipsa inclinatione procedens. Ideo dicitur tendere in suum bonum tantummodo executive, nullo modo cognoscens illud.

In animalibus brutis ut sic, etiam adsunt inclinationes sed sequentes formas convenientes cognitae. Principium motus quo tendunt in bonum amatum etiam dicitur amor, qui est "coaptatio ad aliquod bonum, id est ipsa complacentia boni". Sed ipsa coaptio ab ipso appetibili datur quod cognitione applicatur appetitui. Nam sicut generans dat corpori gravitatem, "sic etiam appetibile dat appetitui primo quidem quamdam coaptationem ad ipsum, quae est quaedam complacentia appetibilis ex qua sequitur motus ad appetibile. Nam "appetitivus motus circulo agitur", ut dicitur. Appetibile enim movet appetitum, faciens quodammodo in eo ejus intentionem, et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut sit ibi finis ubi fuit principium. Prima ergo immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor qui nihil est quam complacentia appetibilis." Et sic ex amore, cujus pondus est bonum, sequuntur alii motus appetitus, qui movet t.g. vim motricem, membra etc., ut bonum ponderans consequatur. Tunc animalia bruta cognoscunt bonum ad quod tendunt, non tamen illud cognoscunt sub ratione finis, et consequenter non sese ordinant ad illud; itaque dicuntur agere propter finem apprehensive sed materialiter. In voluntate humana res simili modo proportionaliter aguntur. Hoc fusius declarabitur tum quia ibi causa

finalis in omni sua perfectione causat, tum ut questio magis determinetur, dando praecisiones quae utpote communes non valemus iterare. Habemus factum. Voluntas scilicet in bonum sibi ab intellectu praesentatum tendit per primum amorem seu per simplicem volitionem. Hic primus actus voluntatis a duplici principio dependet a voluntate scilicet, et ab objecto bono. Ab objecto autem dupliciter: primo, ut jam dictum est, ut ab extrinseco specificante sicut omnes alii actus potentiae (et habitus); sic objectum causalitatem formalem extrinsecam exercet. Sed aliter ab illo dependet, ut ab attrahente, alliciente, metaphorice movente. Hoc est explicandum. Actus voluntatis est quaedam inclinatio in rem, sed unde venit? Quomodo voluntas coaptatur ad hanc inclinationem in appetibile? Per bonum ipsum, ut supra dicebat S. Thomas. Actus voluntatis est inclinatio, sed bonum est pondus istius inclinationis. Ex sua conjunctione cum appetibili inclinatio ponderosa facta tendit in finem, et quanto plus facit aliquod bonum ponderare in plures actiones tanto universalior, et perfectior finis est, et si facit ponderare in omnes, tunc est ultimus finis, et dicitur appeti, et diligi toto corde, .. Quare haec immutatio, seu pondus appetibilis in voluntate in re per actum amoris fit, sed quatenus est elicitae perfecte a voluntate, dicitur actio voluntatis, et effectus finis, quatenus vero est ab appetibili et subordinatur ei ad amandum, est causalitas finis, et secundum hanc rationem est ab objecto proposito." (J. a S. Th.). Et sic volitio seu amor dependet a voluntate ut a principio elicente et efficiente; a bono ut ab immutante appetitum, coaptante per suum pondus spirituale. Et sic voluntas reali motu realiter influit in amorem qui sub hoc respectu amor activus vocatur,; bonum autem motu improprie seu metaphorice dicto, realiter etiam influit in illo, et idem amor sub hoc respectu passivus vocatur, quia appetibile non active i.e. reali motu in illo influxit. Et amor passive sumptus prioritatem maturae habet in amore ut elicitae a voluntate, sicut spiritatio (praecedat) amorem perfectum, dicitio intellectionem. "Praecedat immutatio complacentiam qui immutatur ut placeat." Sic satis bene apparet quomodo se

habeat amor passivus-quo bono influatur- erga amorem activum ~~habet~~ effectus immediatus boni. Quomodo autem bonum se habeat erga suam causalitatem i.e. erga ipsum amorem passivum, unum tantum dici potest ad hoc declarandum: immediate. Bonum enim est movens immobile, et tunc non est quaerendum tertium realiter distinctum quid inter effectum suum immediatum (qui simul est sua causalitas) et ipsum. Voluntas, elicitato actu primi amoris, si bonum jam amatum simplici volitione est suum bonum i.e. id in quo adest ipsa ratio bonitatis clare et adaequate propositum, de necessitate tendit in illum, et gratia illius omnia facit. Si autem bonum jam amatum simplici volitione, est bonum particulare aut bonum ipsum non adaequate, clare propositum, neque aliquid cum bono ipso clare apprehensum necessario connectum, per se circa illud exercitio libertatis gaudet, licet per accidens v.g. ob passionem aliquam immobilem necessitari possit. Tunc habetur deliberatio, de qua hic non est locus agendi, in cujus fine -si bonum occultatur- elicitatur ab intellectu, movente voluntate, iudicium pratico-practicum, praesentans hoc bonum ut hic et nunc prosequendum, per quod iudicium necessitetur voluntas. Postea sequentur actus circa media, usus, et denique executio. Et sic immutatione boni in appetitu qua "redditur appetibile conjunctum ipsi appetitui, et appetitus ille coaptus ipsi appetibili", et per quam "appetibile se habet ut gravitas, et pondus voluntatis, tam respectu sui quam aliorum," (J. a S.Th.) bonum ita se <sup>q</sup>mare facit ut gratia ipsius caetera fiant.

Patet ergo necessitas consequentiae, clarius tamen fulgebit post sequentem confirmationem.

Bonum non impellit agens, ad actionem suam, per modum termini allicientis, nisi movendo per aliquid immediate ab ipso procedens, et a primo actu appetitus circa ipsum, realiter indistinctum.

Atqui solus amor passivus omnes has conditiones habet.

Ergo bonum formaliter movens amore passivo impellit agens ad actio-

nam suam per modum termini allicientis.

Major probatur: quae sequatur salvatis servandis, secundum quae dicta sunt in praecedenti argumento, conveniunt diversis appetitibus.

1° Motio metaphorica boni debet esse in appetitu.

Nam omne suppositum per appetitum (sive naturalem sive elicivum) agit, cum ergo bonum non sit causa "nisi secundum quod movet efficientem ad agendum", in ipso appetitu qui est principium agendi influere debet.

2° Motio boni debet esse in actu appetitus.

Ob eandem rationem. Nam effectus immediatus boni moventis per modum termini allicientis est ipsum agere efficientis. Sed hoc est, primo, actus ejus appetitus, "nam quidquid aliud est, sive habitus, sive potentia..., minor actualitas est, quam ad actualem influxum requiratur." (J. a S.Th.) (1)

3° Motio boni moventis per modum termini allicientis est in primo actu appetitus circa ipsum.

Alii enim actus appetitus sive circa ipsum bonum movens sive circa media sunt effectus istius primi actus. Et tunc affirmatur quod causalitas boni se extendit ad primum amorem ipsius boni. Quod facile intelligitur; nam quidquid fit gratia boni est effectus ejus, sed clarum est voluntatem non elicere actum, nisi gratia boni, attractam ab ejus amabilitate et gratiositate, ut experientia patet. Cujus ratio est quod nequit appetitus elicere unum actum sine concursu suo objecto quod ut tale, sicut dictum est, allicentiam exercet, tunc movendo primum actum, bonum per illum influit in aliis. Formaliter igitur et immediate, bonum in primo actu amoris appetitus influit; virtualiter autem in aliis actibus, et in effectibus ab istis actibus procedentibus. Nam effec-

(1). Insuper "nihil imprimit (bonus) in appetitum, quasi aliquid antecedens ipsum actum appetendi aut desiderandi; haberet enim tunc finis rationem causae efficientis; quare non influeret esse in aliud ut causa finalis." Remer, Ont. lib. 4, c.2, a.3.

tus producantur ab actibus, reliqui autem actus a primo actu appetitus procedunt, qui ipse dependet ab appetibile, et tunc effectus et alii actus virtute primi actus producantur, et per ipsum virtute appetibilis. Ergo quando dicitur quod finis movet prout est in intentione, hoc significat: prout in ordine intentionis per oppositionem, cum ordine executionis (et electionis), non autem formaliter per ipsum actum intentionis qui sequitur actum simplicis amoris, et quo appetitus fertur in bonum ut consequendum. Nam ille actus procedit a simplici amore in quo formaliter est causalitas boni; potest tamen hic actus simplicis amoris vocari intentio radicalis inquantum est "initium seu radix intentionis." (J. a S.Th.).

4<sup>o</sup> Motio boni per modum termini allicientis ut per aliquid realiter indistinctum a primo actu amoris circa ipsum.

Bonum, sicut saepe dicit Sanctus Thomas est movens immobile, i.e. hoc ipso quod metaphorice movet agens seu appetitum ejus, non mutatur, idem remanet; hoc quidem patet, non enim mutatur aliquid quia amatur; est enim actualitas boni, ipsum amari ipsum appeti. Consequenter quando bonum dicitur diffusivum sui, hoc non est intelligendum de aliqua causalitate efficiente, mediante aliqua actione, sed "bonum dicitur diffusivum sui eo modo quo finis dicitur movere". S. Th. I, q.5, a.4 ad 2; ita etiam de Ver. q.21, a.1 ad 4. Sed causalitas alicujus moventis immobilis non realiter distinguitur ab ejus effectu immediato; non datur tertium realiter distinctum inter movens immobile et effectum ejus immediatum, secus non esset immobile in causatione sua. Ita actio divina v.g. in concursu simultaneo, si consideratur ex parte creaturae, non est realiter distincta ab ipso actu et effectu causae secundae, sed est ipse actus et effectus sub respectu dependentiae erga Deum. Sic ergo debet esse bonum. Non igitur inveniendum est tertium realiter distinctum inter bonum, et effectum ejus immediatum; consequenter causalitas boni non est quaerenda realiter ab effectu suo immediato, distincta. Sed effectus immediatus boni

moventis per modum termini allicientis est primus amor seu primus actus appetitus circa ipsum bonum. Tunc non est intelligenda motio metaphorica seu ponderatio boni ut quid realiter distinctum ab actu appetitus, Etenim actus ipse appetitus est ponderatio seu inclinatio quae a duplici causa procedit; ab appetibili et ab appetitu, et consequenter considerari potest secundum diversas formalitates. Ergo causalitas boni seu id quo formaliter bonus movet, non realiter distinguitur ab ipso primo actu appetitus.

5° Motio boni per modum termini allicientis est primus actus appetitus prout immediate ab ipso procedens.

Nam si consideratur aliter i.e. sub alia formalitate, potius dicetur effectus ejus. Tunc etsi effectus boni moventis per modum termini allicientis realiter idem sit ac ejus causalitas, potius tamen dicitur effectus ut procedens ab appetitu, causalitas inquantum ab appetibili procedit.

Minor jam patet. Etenim primus amor boni moventis per modum termini allicientis est in ipso appetitu, est actus ejus, est primus actus ejus circa illud bonum; ut passive pendens ab appetibili non realiter distinguitur ab amore ut elicitio ab appetitu, et immediate dependet, et procedit ab appetibili. (1)

2° Tertia pars minoris probatur indirecte:

Quia aliarum sententiarum refutatio jam breviter data est simul cum earum expositione, ad hanc partem minoris probandam, unum remanet scilicet solutio contrariorum argumentorum. Ad hoc ergo. Hae difficultates appetitum elicivum respiciunt.

(1). In primo actu amoris triplex distinguitur formalitas; nam considerari potest: ut passive pendens ab appetitu, quod duplicem continet formalitatem: ut operatio (si appetitus a quo procedit est elicivus) et ut res causata i.e. procedens ad modum operationis, et ad modum causati. Nonnulli tenent hoc ultimum esse realiter ab operatione distinctum, sicut intellectio quae procedit ab intellectu ad modum operationis realiter distinguitur a verbo quod ab eodem intellectu procedit ad modum operati. Contrarium tamen videtur docere S. Thomas, De Ver. q.4, a. 2 ad 7.

Causalitas boni moventis per modum termini allicientis est realis, quamvis metaphorica sit motio. Sed hoc amplius teneri nequit si dicitur istam causalitatem consistere in ipso appeti seu amore passivo, nam ipsum appeti idem sonat ac esse appetitum, hoc autem non est nisi extrinseca denominatio, sicut esse visum, esse cognitum, quae reducitur ad relationem rationis. Ergo causalitas boni moventis per modum termini allicientis non est ipsum appeti seu amor passivus.

Respondedo dicendum quod ipsum appetit~~u~~ seu amor passivus dupliciter sumi potest: uno modo secundum quod est denominatio extrinseca, altero autem secundum quod est realis causalitas boni. Ad hoc intelligendum breviter dici debet quid sit extrinseca denominatio. Definiri potest: attributio formae alicui subjecto non habens illam (formam) intrinsece, ex praevia operatione cujus fuit objectum et terminus. Ergo denominatio extrinseca est aliquod logicum tria requirens: 1) aliqua realis operatio, 2) quoddam objectum hujus operationis quod esse potest sive reale v.g. domus, sive rationis v.g. secunda intentio generis quae prout cognitum est fundamentum alterius secundae intentionis speciei, 3) actus intellectus extrinsece attribuens objecto formam operationis, in quo formaliter consistit (scil. in attributione objective sumpta) denominatio extrinseca. Instituemus nunc comparationem horum notiarum cum amore passivo. Sicut ~~formam~~ diximus dupliciter sumi potest, si sumitur prout attributum objecto seu bono extra appetitum, post operationem, certe est denominatio extrinseca. Nam tunc attribuitur forma amoris bono quod illam non habet, quia fuit objectum talis amoris. Si autem sumitur amor passivus pro ipso actu amoris utpote dependens ab appetibili sic est quid reale, causalitas boni et non denominatio extrinseca, nam ita sumptum aliquod non requirit actum intellectus qui solummodo efficere potest denominationem extrinsecam. Ita contingit pro causalitate hujusmodi boni in brutis; quando vero talem actum intellectus requirit, exigit illum ut praecedentem actum appetitionis, et ad modum conditionis, ut scilicet esse intentionale

dat bono quod habens movebit. Actus igitur intellectus tribuens formam appetitionis bono, supponit ipsum actum appetitionis ut elicited ab appetitu, a fortiori ergo amorem passivum i.e. ille actus prout ab appetibili dependens, cum amor passivus, amorem activum praecedat. Ergo amor passivus, secundo sensu sumptus, minime est denominatio extrinseca, sed realis causalitas boni inquantum immutat appetitum, et dat actu ejus suam vim ponderosam. Ad alteram equivocationem vitandam circa vocem "immutatio", notandum est quod actus ipse appetitus, immutat appetitum unde active provenit, inquantum est actus secundus ejus; nam sub hoc respectu actus appetitus sicut omne accidens, actuat subjectum in quo recipitur et tunc in casu praesenti immutat suppositum in quo recipitur proprie ut in suo subjecto inhaesionis, et appetitum ut medium ejus inhaesionis in supposito. Patet quod "immutatio" non hoc sensu afficitur nunc, etenim ita sumptus, actus appetitus consideratur per modum causati et consequenter praerequirat formalitatem operationis et a fortiori dependentiae ab appetibili.

Aliud obicitur. Causalitas boni moventis per modum termini allicientis nequit esse ipse actus appetitus. Nam talem proferens affirmationem, notionem metaphoricae motionis (quae convenit bono) debet, et apertam tenet repugnantiam. Etenim: 1) actus appetitus, -a quo non realiter distinguitur amor passivus,- est motio propria, et exercitium causalitatis efficientis appetitus. 2) idem actus realiter est effectus boni moventis per modum termini allicientis, et non ejus causalitas. Si ergo affirmatur eundem actum utpote elicited ab appetitu causari ab aliquo non realiter ab ipso distinctum, habetur propositio: actus appetitus sese causat, quod evidenter repugnat. Insuper causae reales, realiter distinctae, causalitates distinctas requirunt. Sed actus appetitus est ejus propria causalitas. Ergo nequit esse causalitas boni moventis per modum termini allicientis.

Respondetur quod amor ut active elicited ab appetitu est motio propria (est tamen actio formaliter immanens, licet virtualiter transiens), sed

quatenus passive pendens ab appetibili non est propria motio, licet realis sit causalitas inquantum allicit appetitum "immutat enim appetitum ut complacereat."

Sed hoc secundo modo amor est causalitas boni, unde salvatur notio metaphoricae motionis dicendo quod causalitas boni moventis per modum termini allicientis sit et amor passivus. Non autem repugnat eadem res quatenus pendens a pluribus principiis diverso modo se habeat erga ista principia juxta diversitatem eorum. Sicut nullo modo repugnat eandem rem esse causalitatem causarum realium et distinctarum, dummodo hoc fiat secundum diversas formalitates ejus, et hoc dare apparet, in concursu simultaneo in actione, si consideratur ex parte creaturae. Nam in hoc casu eadem res, sub diversis respectibus, est causalitas efficiens divina, et causalitas efficiens agentis creati, ergo neque repugnat amorem secundum diversas formalitates esse causalitatem appetitua, et boni. Joannes a S. Thoma ad hoc explicandum dicit amorem passivum et activum esse idem actus identice sed non formaliter. "Id... quod (amor passivus) formaliter addit est vera et realis dependentia ab objecto, non quatenus specificante, sed quatenus spirante, et appetitui se conjungente, ut pondere, et inclinatur in alia... et talis conjunctio seu dependentia, et ordo ad appetibile, aliquid reale est in ipso effectu, ut dependente ab appetibili, et sic est causalitas finis, quia communicat voluntati pondus, et inclinationem ut ratione sui caetera appetantur."

In secunda ratione allata contra conclusionem, manifesta est aequivocation. Non enim dicitur quod actus sese causet, hoc revera contradictionem implicaret, sed dicitur quod causalitas boni sit ipse amor ut passive pendens ab appetibili. Hoc non est idem. Non dicitur quod amor passivus sit principium realiter influens in seipsum, hoc principium est bonum realiter ab amore distinctum, sed dicitur quod amor passivus sit id quo bonum causat amorem activum per modum termini allicientis. Tunc realis indentitas affirmatur inter causalitatem et effectum, non inter causam et effectum. Sed ubi est repugnantia quod causalitas sit ipse effectus realiter, dummodo hoc sit sub diversis formalitatibus?

Nulla invenitur. "Nam non est necesse ut causalitas et effectus realiter distinguantur, quum sufficiat virtualis distinctio. Ille amor a c t i v e est ab agente, quia ab hoc ponitur efficienter: p a s s i v e autem est a fine, et respectu hujus habet rationem effectus et causalitatis finalis; e f f e c t u s quidem quia non produceretur sine influxu causae finalis, c a u s a l i t a s f i n a l i s, quia, posito illo amore, jam intelligitur finis actu causans." (Remer). Ceterum res similiter se habent in appetitu, ipsa appetitio sub ratione operationis est ejus causalitas, sub ratione autem rei operatae est effectus ejus immanens. Hoc semper contingit in movente immobiliter scil. causalitas et effectus sunt idem realiter. Sed amor ut passivo pendens ab appetibili est prior, (prioritate naturae quam amor activus, quia amor prius dependet ab appetibili quam ab appetitu. "Desiderari et amari prius natura est a fine quam ab efficiente, quum finis habent rationem moventis et non moti, cause autem efficiens habeat rationem moti et non moventis respectu finis." (idem) Bonum enim dat appetitui pondus seu gravitatem inclinationis suae ad ipsum, bonum immutat ut appetitus complaceat. Patet ergo quod idem actus potest esse secundum diversas formalitates causalitas boni et effectus ejus et causalitas appetitus sine repugnantia et destructione motionis metaphorice. Ergo patet conclusio tertiae partis minoris, et simul tota conclusio habetur probata.

ERGO CAUSA FINALIS FORMALITER CONSTITUITUR PER SOLUM BONUM PROUT  
EST IN SE ET MOVENS AMORE PASSIVO.

## II- Deducuntur corollaria:

1. Ergo causa finalis proprie est finis operantis, finis vero operationis et finis operis et alii, causalitatem finalem non exercent nisi in quantum coincidunt cum fine operantis. Nam causae finalis proprium est agens movere ad actionem suam per modum termini allicientis. Influit igitur immediate in solo agente; et consequenter finis hanc exerens causalitatem non est nisi ille quem agens intendit ut id cuius gratia aliquid facit. Sed neque finis operationis neque finis operis ut sic isto modo ab agente intenduntur. Ad cuius intellectum notandum est sensum istarum expressionum. Nonnulli auctores finem operationis a fine operis non distinguunt. At ista distinctio lucem affert. Ecce sensus proprius utriusque. "Finis operationis est id ad quod terminatur operatio: sic opus artefactum, v.g. machina, est finis operationis artificis. Sed opus, quod est finis operationis, iterum natura sua ad aliquid ulterius ordinatur: machina instruitur propter proprium actum et ad illum ordinatur tamquam ad finem; et hic dicitur finis operis." (Hugon, Met. Ont. tract. IV, q. II, a.6).

Jsm patet finem operationis, ut sic, non esse id quod agens intendit, ut id cuius gratia aliquid facit; nam est tantummodo terminus operationis, non scopus ac motivum agentis, dum finis operationis ut sic effectus sit agentis, quid (ut dictum est) bene esse potest solummodo medium. Neque igitur finis operis ut sic est scopus et motivum agentis; ergo non est, ut sic, vera causa finalis. Hoc, aequivocatione depulsa, magis apparebit. Non dicitur finem operis non esse verum finem alicujus rei -dum, ex ipsa sua notione sit ejus finis naturalis-, sed negatur illum ut sic veram esse causam finalem. V.g. verus finis eleemosynae certe est adjuvare pauperes, attamen si eleemosynam faciens illum finem non sese proposuerit ut id cuius gratia illam facit, non erit vera causa finalis suae eleemosynae. Illa enim esse potest vana gloria vel aliquid hujusmodi. Patet ergo ex causae finalis notione (quae ex ipsa ejus scientifica inventionem exigitur), veram causam finalem esse finem operantis, quia illum solum ut sic inten-

dit agens ut ~~id~~ id cuius gratia aliquid facit. Alii ergo finis causae finales sunt inquantum ~~quae~~ coincidunt cum fine operantis. Hoc clarius apparet si consideratur causalitas finis in actu secundo. Confirmatur haec probatio eo~~q~~ quod causa finalis est prima et causa aliarum causarum. Haec enim affirmatio nullo modo sustineri potest nisi admittatur causam finalem immediate in agente agere et consequenter esse finem operantis. Non recte igitur P. Th. de Régnon in suo libro "La Métaphysique des causes" liv. VI, ch. I, n.7, finem operantis ut veram causam finalem repulit. Parum urgent ejus argumenta: "La première preuve est courte et concluante. La fin de l'ouvrier, avons-nous dit, est une fin vers laquelle court l'ouvrier. Par rapport à cette fin, il est mû par un motif. Or nous n'avons pas ici à rechercher comment l'agent pâtit, mais comment il agit." Sed si non vult agens considerare prout patitur duo remanent: aut scilicet causalitatem efficientem scrutare aut agens divinum quod agit propter finem sed non agitur a fine. Si autem de causa finali quaeritur, (sicut P. de Régnon in suo sexto libro) necesse, quomodo agent patitur investigare, nam ut probatum est agens creatum agitur a fine et causa finalis immediate in solo agente influit. "La seconde démonstration s'appuie sur un principe dont nous avons déjà fait bon usage. Ce principe est le suivant: tout ce qui est vraiment cause qu'un effet existe, est cause qu'il soit ce qu'il existe; par conséquent, pour s'assurer si l'on est en présence d'une cause essentielle, il suffit de chercher si cette cause influe non seulement sur l'existence, mais encore sur la nature de l'effet... (or) le motif qui agit sur l'ouvrier ne laisse pas dans l'oeuvre son empreinte... donc la fin de "l'ouvrier" n'est pas la cause finale de l'effet, et, dans ce livre, nous devons concentrer notre attention sur la fin de l'"opération" et la fin de l'"oeuvre". Notandum est imprimis "Suarezismum" expressionum; sed majoris est momenti conceptio ad mentem Doctoris Eximii. Ad hoc argumentum sufficiat respondere quaecumque causam influere esse inquantum concurrat in productione totius, apti ad suscipiendam existentiam. Nam in philosophia Aris-

totalis et Sancti Thomae talis habetur actus quia talis habetur potentia et causa non potest dari actus nisi disponendo potentiam. Sed hoc esse potest aut intrinseco ut partes "quibus" totum constat aut extrinseco. Extrinsece fieri potest aut immediate uniendo partes aut mediante agente quod has partes unit: sic causa finalis -finis operantis-. Patet ergo quod, causa finalis influit in ipsam naturam effectus etsi mediante agente tale exemplar eligente aut quia est suus finis aut quia medium ad illum. Licet ergo causa finalis (quia remotior ~~quod~~ quam aliae) non possit cognosci ex ipsa effectus consideratione, nihilominus vere in ejus naturam influit.

Nunc possibile est dare divisionem finis. Auctores multa membra divisionis enuntiant rarissime tamen rationes ac fundamenta hujusmodi divisionum indicant. J. a. S. Thomae, in I-II, disp., 1, a. 1, ad duas classes illas recedit: ex parte modi finalizandi et ex parte rei finalizantis. Capita similia elegimus, non tamen eodem modo subdividimus. Finis est concretum accidentale, in illo igitur distinguuntur subjectum -res terminans, finalizans, - et forma -terminatio, finalizatio. Ergo secundum diversos modos rei et diversos modos terminationis oritur divisio finis adaequata:

I. Ex parte materiae seu rei terminantis, tripliciter dividitur finis: 1<sup>o</sup> ratione subordinationis, 2<sup>o</sup> ratione sufficientiae ad finalizandum, 3<sup>o</sup> ratione executionis.

II. Ex parte formae seu terminationis quadrupliciter dividitur finis: 1<sup>o</sup> terminans ut "cujus gratia", 2<sup>o</sup> ut "qui", 3<sup>o</sup> ut "quo", 4<sup>o</sup> ut "cui". Ecce schema, integram divisionem exponens:

Ex parte materiae seu rei terminantis.

1. r a t i o n e s u b o r d i n a t i o n i s

A- secundum momentum, habetur:

finis primarius, qui directe intenditur ac per se primo.

finis secundarius, indirecte intentus, concomitantanter cum fine primario, tamquam ex consequenti.

B- secundum proximitatem seu immediationem habetur:

a) finis ultimus i.e. qui non ad alium ordinatur, proximus in intentione, remotissimus in executione, finis potest esse ultimus secundum quid i.e. in aliquo ordine, aut ultimus simpliciter.

b) finis non-ultimus i.e. qui ad alium ordinatur et tunc aliquid mediū habet, mediante fine ultimo appetitur et finis ultimus ille mediante attingitur, potest esse:  
 proximus i.e. immediate post media; aut  
 intermedius i.e. inter finem proximum et ultimum.

2- ratione sufficientiae ad finalizandum habetur: aut finis totalis seu adaequatus, aut finis partialis seu inadaequatus.

3- ratione executionis. (haec est divisio finis operantis habetur).

finis efficiendus: (1) cum agens finem appetit ut ab quo faciendum, v.g. operans, tabulam desiderat, ut ab ipso faciendam.

finis obtinendus: cum agens, non ut faciendum, finem appetit; v.g. operans tabulam facit quam non nisi ut medium ad pecuniam acquirendam appetit, pecunia est finis obtinendus, non efficiendus. Sic etiam Deus est finis. (2)

(1). Finis efficiendus saepe designatur per vocem: finis-effectus. Notandum est quod ~~h~~ verbis: finis, effectus, conjunctim sumptis, quattuor sensus diversi attribuuntur ab auctoribus. Significat: primo: id ad quod terminatur operatio agentis, et sic est synonymum finis operationis et scribitur: "finis-effectus", gallice la fin-effet. Secundo: finis ~~operationis~~ et ab agente productus i.e. ita terminans agentis operationem ut ab ipso producat; sic, opponitur fini obtinendo, et idem significat ac finis efficiendus sub alio aspectu consideratus. Hoc sensu sumptus gallice dicitur: la fin faite. Tertio: finis effectus producti vel obtenti, gallice la fin de l'effet, sic idem sonat ac finis operis ratione executionis consideratus. Quarto: effectus finis, ita effectus proprius causae finalis est agens movere ad actionem suam, gallice dicitur, l'effet ou les effets de la fin.

(2). Ratione ordinis finis distinguitur in naturalem et supernaturalem sed haec divisio

Ex parte formae seu secundum diversos modos terminandi, habetur:

1. finis "qui" terminans ut quod; est aut  
     finis operis: finis naturalis rei; aut  
     finis operantis: ille quem agens sibi proponit, et ad quem attingendum operatur.
2. finis "cujus gratia" ratio "sub qua" finis "qui" appetitur seu ejus bonitas.
3. finis "quo": terminans ut id quo habetur finis "qui"; est assecutio seu possessio ejus. Non est medium, quia per se appetibilis aliquomodo.
4. finis "cui" terminans ut subjectum cui attribuitur aliquid, est terminus amoris amicitiae, sicut finis "qui" est terminus amoris concupiscentiae.

Ad hanc partem divisionem recte intelligendam duo sunt notanda:

- 1<sup>o</sup> finis "cujus gratia" et finis "qui" non realiter distinguuntur. Nam finis "cujus gratia" est ratio sub qua appetitur finis "qui" seu eius bonitas. Finis "qui" est res appetita ut finis, et consequenter est finis cujus gratia (proximus) respectu mediorum. v.g. aliquis vult tabulam; ad hoc laborat; tunc tabula respectu mediorum et id cujus gratia media appetuntur, attamen tabula est res quae appetitur ut finis (finis "qui") vero sub qua tabula appetitur est bonitas ejus realitas cum ipsa identificata.
- 2<sup>o</sup> sequens schema ab uno ex doctoribus C.E.I. nostrae Universitatis factum, melius relationes hujusmodi membrorum divisionis ostendit. Ratione modi terminationis dividitur finis in objective et subjective.

Finis objectivus:

formalis: finis "cujus gratia"  
 materialis: finis "qui"

Finis subjectivus:

formalis: finis "quo"  
 materialis: finis "cui".

2. Ergo ipsum non-esse, non appetitur nisi sub ratione boni, et hoc sola potest esse finis. Sic appetitur non-esse secundum quid, ut facile intelligitur sed etiam non-esse absolutum. Etsi enim objective non-esse absolutum est ultima imperfectio alicujus entis, quæ suam primariam tollit perfectionem, potest tamen considerari, in aliquo casu dato, ut conveniens alicui in quantum per hoc operatur liberationem a nimio malo, et sic potest esse id cuius gratia aliquid fit, sicut cum aliquis se desperationem se i termit. Attamen formaliter et per se "esse" appetit scilicet appetit esse sine miseria, "per accidens autem appetit non-esse, quatenus illi esse quod appetit, accidit non-esse sui". (Gredt). Ita Sartre... "le non-être absolu peut être envisagé quelquefois comme un bien; mais c'est par un détour, et l'analyse découvre que dans ce cas, c'est l'être, au fond qui est le réel appétible. Si par exemple un certain mal est insupportable, et qu'en regard, pour y échapper, du côté du non-être, celui-ci pourra vous sembler désirable. Mais pourquoi la suppression du mal est-elle désirable, sinon parce que ce mal nous prive d'un certain bien dont l'absence est insoutenable? C'est donc par accident, et en raison du bien même, que le non-être a été souhaité; c'est donc à l'être que s'adresse en réalité le désir et c'est donc lui toujours, qui est le bien". (S. Thomas d'Acquin, I, 1.1, ch.1. p. 57).

3. Ergo verum non appetitur nisi sub ratione boni, ut docet S. Thomas in I, q.79, a.11 ad 2. Et tunc verum nequit esse finis nisi sub ratione appetibilis. Sed etiam addendum est, (quod ex tota thesi deducitur sed speciatim ex prima parte minoris scilicet) quod "bonum ut sit finis, sine dubio non debet habere solam bonitatem transcendentem sub conceptu-absoluto, sed sub conceptu convenientis, et ordinate ad alterum, cui est bonum: quia finis est id cuius gratia aliquid fit, ergo debet esse conveniens respectu ejus, quod fit propter illud, alioquin gratia illius non erit, si non habet ordinem convenientis ad se". (J. a S.Th., loc. cit.). Ad difficultates preoccupandas notandum est,

cum eodem auctore, quod in ipso amore amicitiae adest aliqua "convenientia communicationis, et familiaritatis, quae est convenientia honesti, "et denique "quod qui appetit bonum ut conveniens, non appetit ipsam relationem convenientiae, sed id quod fundat talem relationem".

4. Ergo quando dicitur quod appetitus distinguuntur et specificantur secundum diversas apprehensiones seu cognitiones, hoc intelligendum est non formaliter sed applicative. Formaliter enim specificantur et distinguuntur a diversis bonis seu appetibilibus. Hoc clare docet S. Thomas, De Ver., qu.22, s. 4 ad 1..." voluntas ab appetitu sensibili non distinguitur directe per hoc quod est sequi apprehensionem hanc vel illam... Sed talis diversitas requirit diversitatem apprehensionum... Unde quasi ex consequenti accipitur distinctio appetitivarum virium penes distinctionem apprehensivarum, et non principaliter." Similiter q.25, a. 1 ad 6, "diversitas apprehensionum per accidens se haberet ad appetitivas vires, nisi diversitati apprehensionum diversitas apprehensionum conjungeretur." Unde Joannes a S. Thoma dicit: "apprehensio, quae facit differre specificative potentias appetitivas, non est apprehensio formalis, et ex parte subjecti se tenens, sed radicalis, seu objectiva... id est, res ipsa appetibilis, sic considerata quod fundat diversum modum appetibilitatis, quae requirit diversum modum movendi et inclinandi potentias.

Similiter non potest dici proprie quod cognitio sit "radix appetitus tendentis in finem." Etenim "radix multiplicibus significationibus afficitur utique, sed difficile videtur hanc vocem significare posse conditionem per modum applicationis et existentiae, quodsi hunc sensu<sup>m non</sup> habet, nequit dici cognitio radix appetitus, ut patet. Ex secunda parte minoris.

5. Ergo relatio causalitatis finalis seu causalitas finalis relative sumpta, stricte non est mutua, i.e. in causalitate finali non habetur relatio realis a causa finali ad effectum ejus sed tantummodo adest relatio dependentiae effectus erga causam finalem. Nam omnis relatio realis, reale fundamentum exi-

git, sed causa finalis eo quod causat non mutatur, est enim movens immobile, et ideo eo quod causat non recipit entitatem aliquam novam, non transit de potentia ad actum et consequenter, causatione sua non tribuit fundamentum reale alicujus relationis, ex sua parte ad effectum, iste autem effectus realiter causatur a fine, et consequenter realiter ab illa dependet. Attamen latiore sensu relatio causalitatis finalis dici potest mutua, quatenus intellectus humanus fini tribuit relationem rationis ad effectum. Et hoc ab duplicem rationem facit: 1<sup>o</sup> quia causa finalis est terminus relationis realis sui effectus. "Terminus enim relationis omnis etiam ipse relativus esse debet aliquo modo, quia terminus, ut terminus seu ut terminans, necessario aliquem ordinem continet ad id quod terminat, sive ordinem realem sive ordinem rationis tantum. Siquidem ex parte termini non habetur fundamentum reale respondens fundamento reali ex altera parte, terminus eo ipso, quod terminus est, fundamentum constituet relationis realis." (Gredt, 5<sup>a</sup> ed. n.191). 2<sup>o</sup> quia causa finalis per comparisonem cum causa efficiente creata cognoscitur, (dicitur enim movere, impellere, ponderare metaphoricè) itaque quia causa efficiens creata relationem realem habet ad suum effectum, (causando enim mutatur seu actualitur, dum causet per actionem quae est actus secundus) intellectus causae finalis relationem ad effectum suum tribuit.

6. Ergo omnia Deum ipsum saltem implicite appetunt, sed creatura rationalis explicite illum appetere debet. Nam omne ens agit propter finem quem appetit, creatura autem rationalis elective seu formaliter propter suum finem agit.

5. Thomas hanc affirmationem in diversis locis facit, praesertim in I Eth., l. 1, et in De Ver., q.22, a.2. Ecce corpus hujus valde pulchri articuli: ... "sciendum est quod causa secunda non potest influere in suum effectum nisi in quantum recipit virtutem primae causae. Sicut autem influere causae efficientis est agere, ita influere causae finalis est appeti et desiderari. Et ideo, sicut secundarium agens non agit nisi per virtutem primi agentis exis-

tentem; prout scilicet est ordinatum in illud, vel habet similitudinem ejus. Et ideo, sicut, Deus propter hoc quod est primum efficiens, agit in omne agente, ita propter hoc quod est ultimus finis, appetitur in omni fine. Sed hoc est appetere ipsum Deum implicite; sic enim virtus primae causae est in secunda, ut principia in conclusionibus: resolvere autem conclusiones in principia, vel secundas causas in primas, est tantum virtutis rationalis. Unde sola rationalis natura potest secundarios fines in ipsum Deum per quamdam viam resolutionis inducere, ut sic ipsum Deum explicite appetat. Et sicut in demonstrativis scientiis non recte sumitur conclusio nisi per resolutionem in prima principia, ita appetitus creaturae rationalis non est rectus nisi per appetitum explicitum ipsius Dei, actu vel habitu."

#### SCHOLIA.

1. Si quaeritur utrum axioma: "causae sunt sibi ad invicem causae" aliquomodo respiciat causam finalem, affirmative respondetur. Distinctio tamen est facienda cujus fundamentum dat Angelicus in suo opusculo "de principiis naturae" "Efficiens (vero) dicitur causa respectu finis, cum finis non sit in actu nisi per operationem agentis; sed finis dicitur causa efficientis, cum efficiens non operetur nisi per intentionem finis: unde efficiens est causa illius quod est finis, ut puta ambulatio, ut sit sanitas; non tamen facit finem esse finem. Et ideo non est causa causalitatis finis, id est, non facit finem esse causam finalem; sicut medicus facit sanitatem esse in actu, non tamen facit quod sanitas sit finis. Finis etiam non est causa illius quod est efficiens, sed est causa sicut efficiens sit efficiens: sanitas enim non facit medicum, et dico de sanitate quae fit operante medico; sed facit quod medicus sit efficiens. Unde finis est causa causalitatis efficientis, quia facit efficiens esse efficiens",... Consequenter causae efficiens et finalis sunt sibi ad invicem cau-

causa quando causa finalis est *f i n i s e f f i c i e n d u s*, non quando finis est tantummodo *o b t i n e n d u s*. Nam licet causa finalis sit semper causa causalitatis efficientis, causa efficiens non est causa "illius quod est finis", quando iste est tantummodo obtinendus, sed quando est efficiendus. In eodem casu, quando scilicet finis est efficiendus, causae materialis ac formalis, et causa finalis sunt sibi ad invicem causae quatenus causa finalis est causa causalitatis earum, et quatenus causae materialis et formalis sunt causae totius seu effectus qui coincidit cum causa finali. "Finis est causa causalitatis efficientis quia facit efficiens esse efficiens; et similiter facit materiam esse materiam, et formam esse formam, cum materia non suscipiat formam nisi propter finem, et forma non perficiat materiam nisi propter finem. Unde dicitur quod finis est *c a u s a c a u s a r u m*, quia est *c a u s a c a u s a l i t a t i s i n o m n i b u s c a u s i s*." (ibidem).

2. Ex thesi patet quod solum bonum, (et quidem non bonum utile) possit esse causa finalis. Inquiri tamen potest, si bonum et finis sint idem. L. Lehu (Ph. moralis et socialis I, cap. 1 n.37) postquam notavit quod definitio boni: id quod omnia appetunt, non est a propria forma boni sed ab ejus effectu, ponit rationem formalem boni. Hoc explicato, citans Lepidi, (Cnt.) ait: "Tria in bono spectanda sunt: quia est perfectum; quia est conveniens appetitui; quia appetitur. Perfectio constituit rationem fundamentalem boni et est ipsum esse rei quae dicitur bona; convenientia, rationem ejus formalem secundum quam bonum ratione distinguitur ab ente et a vero; appetentia vero est quid consequens et nota quaedam bonitatis."

Causa finalis autem est id cuius gratia aliquid fit, id quod movet appetitum agentis ut actionem eliciat. Sed causa finalis non causat nisi quia appetibile. Ergo etsi re idem sint, bonum et causa finalis, ratione tamen differunt. Bonum utique est causa finalis, sed causa finalis bono addit quod moveat appetitum agentis per modum termini allicientis ut actionem eliciat.

3. Cognitio quae requiritur ut causa finalis causalitatem suam exerceat, (sicut generaliter omne objectum appetitus elicitivi) debet esse iudicativa. Etenim non movet a causa finalis nisi applicetur appetitui agentis ut bonum seu ut conveniens appetitui. Non potest autem aliquid applicari ut conveniens, sine iudicio sive simplici sive concluso, de convenientia, et quidem sine iudicio practico ~~prae~~ i.e. ostendente quod hoc objectum hic et nunc est appetitui agentis conveniens. Entia autem pure spiritualia, ex natura sua specifica, non iudicant sicut et nos componendo, et dividendo sed sola apprehensione percipiunt convenientiam objecti, et tunc illa sufficit. Non obijciatur quod actus intellectus praecedens actum simplicis volitionis seu primi amoris, (in quo formaliter locum tenet causalitas finalis) sit tantummodo simplex apprehensio. Nam hic actus est iudicium practicum applicans objectum ut hic et nunc conveniens et desiderabile, licet non sit iudicium practico practicum de fine assequendo; tale enim iudicium est illud quod praecedat actum intentionis. Neque multum urget difficultas de cognoscentibus cognitione mere sensibili. In his enim adest instinctus seu vis aestimativa, quae locum tenet iudicii, et qua res cognoscuntur ut convenientes aut nocivae toti naturae. Habent enim animalia bruta quasi-catalogus iudiciorum a Deo illis datus de his quae conveniunt vel disconveniunt illorum naturae. Et ideo dicit S. Thomas I, q. 59, a. 3.: "quaedam sunt quae non agunt ex aliquo arbitrio, sed quasi ab aliis acta et mota; sicut sagitta a magitante movetur ad finem. quaedam vero agunt quodam arbitrio, sed non libero; sicut animalia irrationalia. Ovis enim fugit lupum ex quodam iudicio, quae existimat eum sibi noxium; sed hoc iudicium non est ipsi liberum, sed a natura inditum."

4. Non sufficit sola motio metaphorica causae finalis ut voluntas transeat de potentia ad actum, sed requiritur praemotio physica causae primae. Nam causa finalis est aut 1<sup>o</sup> bonum limitatum seu illimitatum sed non adaequate propositum aut 2<sup>o</sup> bonum illimitatum adaequate propositum. In primo casu clarum

est voluntatem non exire de potentia ad actum per solam influentiam boni, secus deleteretur libertas; quia necessitaretur ad actum suum, per bonum limitatum aut illimitatum sed inadaequate propositum; sed in utroque casu sola causalitas finis est insufficientis, nam datis omnibus requisitis ex parte alicujus causae, requiritur tamen etiam quod alicae causae exigat, sed efficiens creatum, utpote causans transeundo de potentia ad actum, exigit reduci in actum et applicari actui secundo, quod fieri nequit nisi per causam efficientem quae est sua operatio (quia est suum esse); nam ut efficiens creatum applicetur actui secundo, requiritur motio propria, non igitur sufficit motio metaphorica causae finalis. Falsa est ergo sententia "delectationis victricis" quam tenent auctores scholae Augustiniana. Breviter considerando habitudinem causae finalis cum praemotioe physica, dici potest quod causa finalis non requirit praemotioem physicam seu efficientem ad causandum finaliter, sed quod praemotio exigit causam finalem. Prima pars assertionis patet, nam causa finalis est movens immobile, non causat transeundo de potentia ad actum, non igitur requirit actum secundum causalem quae est praemotio. Secunda pars sic explicatur: voluntas non praemovetur nisi ad bonum suum, et tunc praemotio supponit voluntatem applicari suo objecto. Ita voluntas nequit praemoveri ad malum ut malum, neque ad bonum incognitum. Et tunc praemotio dependet aliquomodo i.e. passive, limitative a causa finali, quia praemotio debet proportionari cum natura voluntatis quam movet. Insuper praemotio est in ordine executionis seu efficientiae, et causa finalis in ordine intentionis in qua est prior. Habet ergo causa finalis prioritatem naturae super praemotioem i.e. actus voluntatis prius (prioritate naturae) dependet a causa finali quam a praemotioe per quam Deus in nobis operatur velle et perficere, et sine qua nihil possumus facere. Deo igitur, "soli omnis honor et gloria in saecula saeculorum. Amen."

---

## - CONCLUSIO -

In hujus dissertationis fine, ad modum conclusionis, contemplemus cum notionibus causae finalis et sub lumine supernaturali fidei, quae Deus fecit nobis, et quid Illi retribuere debemus. Sit textus, sequens versiculus Apocalypsis: "Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, Omnipotens." In principio Deus aeternus et omnipotens mundum creavit, illum ad seipsum ordinans. Hominem autem quem ad sui imaginem fecerat, ita elevavit ut propriae naturae consortem efficiat. Consequenter mirifice ad supernaturalem finem ordinavit illum, deditque illi omnia media ad hanc sublimem vitam decurrendam requisita: in sua Deitate quae Trinitas est homini sese revelavit ut "per amorem passive quodammodo ab ipso ... attractus" (S. Thomas) et per concursum gratiae, illum sicuti sese amat, amare possit. Hevae lapsu et Adami, humana natura cecidit. Sed illam quam per Verbum mirabiliter condiderat, per Ejusdem Incarnati mortem et gloriosam Resurrectionem, mirabilius reformavit. Hunc ergo per ipsum Jesus Christum et per Mariam sibi Mediatricem sociatam, omnia a Deo recipimus et praesertim ipsum Jesus, in Sacra Eucharistia, factum cibus viatorum caritatis. Itaque per Jesus Christum i.e. illum amando, Deum amare debemus, ob hanc rationem, Redemptor noster, in cruce moriendo, signum maximae suae caritatis nobis reliquit, ut illum redamemus et per Ipsum, Deum. Ideo dixit: "Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum"

Jesum ergo amemus, illique conciliemus animos populorum, praedico-  
cando Crucifixum. Ita Congregationis nostrae finis perfecte attingetur; ita  
quoque, Christi Regis regnum adveniet: "regnum veritatis et vitae: regnum  
sanctificationis et gratiae: regnum justitiae amoris et pacis." Nam ut  
dilecta sua cantat Sponsa:

"Non ille regna cladibus,

Non vi metuque subdidit:

Alto levatus stipite,

Amore traxit omnia."